Joannes Zamojski
de Senatu Romano.

27 Bar
1893. a. 146.



5402—5403
CIMELIA

Hist. powsz. pol. 480.

III. d. 12½
II egz.

Ioannis Sarii
Zamoscii
De Senatu Romano


Venetiis 1563.

Bibl. Jag

IOANNIS SARII ZAMOSCII

DE SENATV ROMANO LIBRI DVO.

Index auctorum, & rerum memorabilium.



CVM PRIVILEGIO.

Venetiis, apud Iordanum Ziletum. M. D. LXIII.

IOANNIS SARII
ZAMOSCII
DE SENATV ROMANO
LIBRI IVO.

AD AMPLISSIMVM REGNI POLONIAE PROCANCELLARIVM Petrum Miſcouium IN LIB. DE SENATV ROM. IOANNIS SARII ZAMOSCII

PRÆFATIO.



QVOD te minime fugit, PETRE MISCOVI, rerum etiam maximarum, atque adeo partibus omnibus expletarum, ut nihil deſcriptius, perfectiusq; eſſe poſſit, non ita facile excellentia, præſtantiaque cognoſcitur, niſi temporum momenta, & neceſſitates declarent. Atque hoc non ſolum is, qui artes, & opera ad uſum noſtrum excogitata, quotidianamque uitæ conſuetudinem conſiderare, uerum & ille, qui in imperia ac Reſp. intueri, & ſummorum uirorum, atque

que altissimis mentibus præditorum memoriam animo repetere uelit, longe uerissimum esse fatebitur. Celebrantur annalibus, & litteris multi sapientissimi, & fortissimi homines, quorum opera, atque consilio florentissimorum populorum nutantibus aduersa fortuna rebus subuentum, libertasque, & dignitas conseruata est. At eorum omnium uirtuti, & sapientiæ, nisi formidolosissimæ tempestates se obtulissent, haud profecto ulli essent memoriæ posteritatis commendati. Quæ cum ita sint PETRE MISCOVI, si tempore isto non omnino optabili regni Poloniæ Procancellarius factus es, amplissimi magistratus, in patria domesticis malis laborante, grauissimum onus, ingentem laudis tuæ segetem, ac materiam debes existimare. Mihi quidem cum de munere tanto, summa Regis optimi, & sapientissimi uoluntate, summoq; studio, ad te delato iucundissimum nuncium accepissem, fati ipsius incredibilem in uniuersa regnorum, & imperiorum ratione ordinem uenit in mentem admirari. Cum enim uitæ tuæ cursum cogito, serius te, non dico honorem hunc adeptum, quem nunquam concupisti, nisi ut patriæ prodesse posses, sed negotio huic difficillimo præpositum reperio, quam præstans tua uirtus, prudentia admirabilis, & exquisita doctrina postulabat. Neque uero lumen ani-

animi ingeniiq́ue tui, cuius ſplendor exterarum nationum quoque oculos perſtrinxerat, apud nos obſcurum eſſe, neque probitas, cuius fama alienioribus ita te commendarat, ut tuæ laudi mirum in modum fauerent, non conciliare tibi ſingularem apud Regem noſtrum amorem potuit. Quamobrem ita ſtatuo, ut neminem propter ſe a Deo optimo maximo, uerum ad ſubleuandum mortale genus inſtrui, & ornari plurimis, & grauiſſimis artibus, atque uirtutibus; ſic non tam hominum dignitate, aut gratia, quam illius ſupremi principis, & creatoris regnorum omnium prouidentia, ad magiſtratus mandandos Regum mentes allici, & impelli. Quo quidem diuino nutu, ac conſilio, ſapientia, & opera tua in tempus magis neceſſarium reſeruata eſt patriæ; non autem honos is, qui tibi ſemper debebatur, humano iudicio, & uoluntate dilatus. Etenim moleſto, & negotioſo iſto Reip. perfunctus munere, Eccleſiæ alicuius, te tanto Pontifice dignæ, gubernacula prehendere iampridem neceſſe habuiſſes. Ac in illo faſtigio collocatus gregi tibi a Deo commiſſo æternæ utilitatis fructus præberes innumerabiles; & ex rerum diuinarum aſſidua tractatione, non fluxam, & commutabilem, uerum certam, ac conſtantem caperes uoluptatem. Sed nunc in tanta perturbatione ueteris

di-

disciplinæ, patria legum, & institutorum custo de uigilantissimo, SIGISMVNDVS uero AV GVSTVS Rex ad eas difficultates, & asperitates rerum communium depellendas, quas, qui de imperio nostro sapienter cogitant, animo prouident, administro, adiutoreq; fidissimo, & in maximis negotiis gerendis, & sustinendis exercitatissimo careret. Ac illa quidem oblectatione salutari breui, ampliſſima dignitate collecta, gloriaque diuina nomini tuo constituta, in firmo iam, & sempiterno Reip. domicilio perfruere. Tuendæ autem religionis amplior occasio nunc tibi oblata esse uidetur. Etenim non solum iura, iudicia, dignitatem imperii nostri confirmari, uerum etiam labentem, & prope cadentem summi Dei cultum, sublatis in perpetuum exitiosi dissidii caussis, auctoritatis, & doctrinæ tuæ pondere fulciri, & stabiliri hoc tempore oportet. Namque tanta est expectatio magistratus tui, ut nihil tam perturbatum, ac permutatum in Repub. homines esse credant, quod nunc componi, & in antiquum statum restitui nequeat; talis de innocentia, & uoluntate tua in patriam insita in omnium mentibus opinio, ut nullas solicitudines, nullos labores, iuuandæ te illius caussa recusaturum, nulla cupiditate, nullis uoluptatum illecebris, nulla commodorum spe animum tuum non modo flecti,

sed

sed ne tentari quidem ullo modo posse confidant. Facile enim perspiciunt quid de eo sperare debeant, qui ita semper uixerit, ut omnia consilia, atque facta ad solam honestatem referret; atque ita ab ineunte ætate imbutus sit, & institutus, ut se non sibi, sed patriæ natum, nec ulla in potestate auaritiæ prædam, aut libidinum fructus, sed instrumenta, adiumentaque moris maiorum, disciplinæ, ac æquitatis tuendæ, & conseruandæ quærenda esse arbitretur. Quare quemadmodum te antea, tanquam ex annalium memoria diuinum quendam hominem, uniuersi admirabantur; sic diuulgato nunc de tua dignitate hoc nuncio, cuncti incredibili afficiuntur lætitia; pro tua salute uota suscipiunt; Regis optimi, ac præstantissimi in hominum ingeniis, ac moribus æstimãdis iudicium laudibus in cœlum ferunt. Quo in omnium eximio gaudio, ne solus Reip. nostræ bonum non uidear agnoscere, hos duos de Senatu Rom. libros gratulatores ad te mitto. Neque me latet quem mihi compellandum proposuerim. Verum altera ex parte noui tuam singularem humanitatem, noui præstans erga litteras studium. Itaque daturum te hanc ueniam meæ in patriam pietati, tibiq; debitæ obseruantiæ; atque & si fortasse non desideres, tamen te id genus officii, quamuis a tenui, & uno de multis ho-

homine profectum minime aspernaturum, non modo mihi facile persuadeo, sed etiam pro re certa statuo, planeque confido. Vale. Patauii. IV. K. Iul. M. D. LXIII.

IOANNIS SARII ZAMOSCII

De Senatu Romano

LIBER I.



QVi ita uersantur in litteris, ut non sibi solum, sed aliis quoque uelint prodesse uigilias suas, easque prodere cupiant posteris, ad commendationem uirtutis, & nominis sui famam; non nisi timide, & cum deprecatione ad obscurissimas res quasque, ac difficillimas aggredi solent. Hanc uero putant dari sibi potissimum ueniam excusationis, si ad eam, quam ingrediuntur, disputationem se accessisse ostendunt, uel maxima adductos utilitate, uel rei, in qua uersatur, præstantia, & nobilitate commotos. Etenim pondus oneris non æstimare, sed maximum quodque appetere, arrogantis hominis, & temerarii esse uidetur. At uero delirantis certe est incredibiliter, extremeque insanientis, ad eam rem incumbere, quæ inuenta, post infinitos exantlatos labores, nec aliis utilitatis fructum aliquem, nec inuentori suo ullam adferat laudem. Qui autem ad suam, & communem omnium utilitatē, in pulcherrimis, licet non facillimis, quæstionibus elaborant, tanto maiorem consequuntur gloriam, quanto grauiore perfuncti sunt labore. Nemo igitur mirari debet, me senatus Romani historiam exponere conari, rem quidem fateor perobscuram, & arduam inprimis. Nam cum esset antiquis illis temporibus a M. Varrone, & Ateio Capitone, itemque Nicostrato litteris

teris explicata, eorum monimenta exquisitissima, & immortalitate dignissima, consumptrix omnium rerum uetustas exedit & confecit. Nunc uero ob auctorum penuriam, & eorum, qui ad nos peruenerunt negligentiam, uix restitui potest: Verum tamen, quod facile concedent omnes, non indigna est, in qua neruos ingenii, & industriæ, si qua est in me, contendam. Quis enim locus in tota antiquitate Romana, aut ad intelligendos libros Latinorum scriptorum magis necessarius, quam hic de Senatu Rom. reperitur? aut iis, qui ad gubernacula Reip. accessuri sunt, utilior? aut ipso munere senatorum, & amplitudine grauior? Quod si expressam illius, & germanam effigiem, in tam obsoleta priscorum institutorum memoria, assequi nō possumus, saltem nos umbra & imagine oblectemus. Ac, quantum ingenio conniti, & præstare diligentia nobis licebit, ad eam curam incumbemus, ut hominum in hoc genere auidorū, non dico omnino depulisse & expleuisse famem, sed tamen leuasse, & aliqua ex parte sedasse uideamur. Et primum quædam, quæ adhuc in obscuritate latent, e ueteribus litteris eruere conabimur; deinde ea, quæ in doctissimorum uirorum commētariis passim dispersa sunt, colligemus; ac postremo operam dabimus, ut doctrinam hanc relinquamus, & si non compositissimam fortasse, & rotundissimam, at certe non omnino temere exstructam, & conscriptam; nec tantum non temere exstructam, sed etiam priscorum annalium uerbis accurate confirmatam, & optime fundatam. Nam, ut concedam refertam auctoritatibus orationem nō ita gratam & iucundam esse; genus tamen hoc tale est institutæ scriptionis, ut nisi obsignatis quasi tabulis agatur, nullam habeat per se fidem, simplex & nuda narratio. Quo fit, ut in aliud tempus reseruato, qui ex continenti & perpetua percipi-

tur oratione ſuauitatis fructu, ne quis fidem diligentiamque noſtram in dubium poſſit uocare, laborandum nobis nunc, & omni cura prouidendum eſſe exiſtimem. Verum iam ad hoc, quod ſuſcepimus, munus, conficiendum, erecto atque alacri animo, pergamus.

Duobus modis, ex antiqua Romanorum loquendi conſuetudine, ſenatum appellari inuenio: uno cum nomine hoc uniuerſos complectimur ſenatores: altero cũ ſignificamus ſenatorum, & eorum, qui ius ſententiæ haberent, conuentum coactum, ab illo, qui ei muneri præfuit, ad conſilium capiendum de Rep. loco, tempore, atque modo inſtituto, & introducto legibus, moreque maiorum. Vnde dicimus legere in ſenatum, & mouere ſenatu; itemq, habere ſenatum, & dimittere ſenatum. Quibus in loquendi formulis non parum diſcriminis eſt, quanquam in utraque ſignificatione idem ſenatorum ſubeſt ueluti corpus. Itaque ad duas huius uocabuli ſignificationes omnem accommodabo, quæ ſequitur de ſenatu Rom. diſputationem. Et primũ de ſenatoribus; deinde uero de ſenatu dicam, eiusq; antiquum morem, & officium explicabo.

Si quis igitur definire, atque paucis uerbis, quid eſſet ſenator, complecti uelit, quem quidem cõſtat introitum quæſtionis cuiuſlibet aptiſſimum eſſe, neſcio an non peſſime ita patefieri & deſcribi poſſit, ut dicamus, ſenatorem, ciuem Rom. fuiſſe, per legitimam magiſtratus eius lectionem, cui munus iſtud incumbebat, in ſummo ordine conſtitutum. Cuius definitionis partes ſingulæ, ſumma cum diligentia, expendendæ, ac ſtabiliendæ nobis ſunt. Ac primum uereor, ne nimium lectorum ingeniis, diligentiæq; diffidere uidear, ſi genus, quod conſtitui ſenatoris probabo. An enim quiſquam tam alienus erit a litteris, ut ignoret, tres ordines Romæ, ſenato

rium maximum, equeſtrem huic dignitate proximum, & plebeium infimum, nihil aliud quàm diſtinctionẽ in tres gradus ciuium Rom. fuiſſe. Sed quoniã ita me ſcripturum de Senatu Romano recepi, ut nihil mihi non te ſtatum proferendum ſit, dabunt mihi hoc credo, concedentq́; omnes, ſi etiam qua de re nemo dubitare poſſit, argumentabor. Itaque ueterum auctorum uerba, quibus hoc confirmari poteſt, audiamus. Cicero primo oratorio dialogo ſic ſcribit: C. Mancinum, inquit, nobiliſſimum, atque optimum uirum, ac conſularem, cum eum, propter inuidiam Numantini fœderis, pater patratus ex S. C. Numantinis dedidiſſet, eumq́; illi non recepiſſent, poſteaq́; Mancinus domum reueniſſet, neque in ſenatum introire dubitaſſet, P. Rutilius M. filius, tribunus pl. de ſenatu iuſſit educi, quod eum ciuem negaret eſſe, quia memoriæ ſic eſſet proditum, quem pater ſuus, aut populus uendidiſſet, aut pater patratus dediſſet, ei nullum eſſe poſtliminium. Si igitur amiſſa ciuitate amittitur ſenatorius ordo, clarum & perſpicuum eſt, ciuitatis expertem nullum ſenatorem fingi poſſe. Et in cauſſa Sex. Roſcii, de iudicibus, qui fuere dati ex ſenatoribus, per legem Corneliam, idem Cicero loquitur hoc modo: Qui ex ciuitate in ſenatum propter dignitatem, ex ſenatu in hoc conſilium delecti eſtis propter ſeueritatem. Atque hanc ſententiam noſtram ſuſtinet etiam Liuii hiſtoria, in qua hoc fere eſt: Cum ob ſolitudinem curiæ, & infrequentiam conuenientium ad publicum conſilium, M. Aemilius Pr. dictatore, poſt Caſilinum amiſſum, profecto iam ad exercitum, expoſcentibus cunctis retuliſſet, tum Sp. Caruilius, cum longa oratione, non ſolum inopiam, ſed paucitatem etiam ciuium, ex quibus in patres legerentur, conqueſtus eſſet, explendi ſenatus cauſſa, & iungendi arctius Latini nominis,

minis, pro magna re, se suadere dixit, ut, ex singulis populis Latinorum, binis senatoribus, si patres Romani censuissent, ciuitas daretur, iique in demortuorum locum in senatum legerentur. Eam sententiam haud æquioribus animis, quam ipsorum quondam postulatum Latinorum, patres audiuerunt; & cum fremitus indignantium tota curia esset, præcipue Manlius esse nunc quoq; stirpis eius uirum dicebat, ex qua quõdam in Capitolio consul minatus esset, quem Latinum in curia uidisset, eum sua manu se interfecturum. Omitto Ciceronis aliud testimonium, in oratione pro domo, in qua morem quendam explicat, ut de quibus ciuibus ferebatur lex, qua iis aqua & igni interdicebatur, in eadem lege adscriberetur, ne eos in senatum legerent censores, aut, si essent ante lecti, præterirent. Hæc enim est huius loci sententia: Me ne tum quidem cum aberam negare poteras esse tua lege senatorem. ubi enim tuleras, ut mihi aqua & igni interdiceretur? quod Gracchus de Popillio, Saturninus de Metello tulit, homines seditiosissimi, de optimis, ac fortissimis ciuibus, non ut esset interdictum, quod fieri non poterat, tulerunt, sed ut interdiceretur. ubi cauisti, ne meo me loco censor in senatum legeret, quod de omnibus, etiam quibus damnatis interdictum est, scriptum est in legibus. Quibus ex omnibus locis efficitur, ciuitatem senatorii ordinis quasi fundamentum esse. Ciuem uero intelligo, qui optimo iure sit ciuis. Et ciuium nomine municipes, qui habuerunt hoc ius plenum, comprehendo. Quos quam primum Romam uenissent, ibiq; sedem rerum suarum collocassent, & conditione eadem, qua ciues natos in urbe, uixisse constat, & plurimos eorum magistratus summos gessisse, amplissimisq; honoribus perfunctos esse, ac supremi consilii fuisse participes. Vnde ille noster in Sylla

na.

na: At hic etiam, id quod tibi necesse minime fuit, facetus esse uoluisti, cum Tarquinium, & Numam, & me tertium, peregrinum regem esse dixisti. mitto iam de rege quærere, illud quæro peregrinum cur me esse dixeris? nam, si ita sum, non tam est admirandum, regem esse me, quia, ut tu uis, etiam peregrini reges Romæ fuerunt, quam consulem Romæ fuisse peregrinum. hoc dico, inquit, te esse ex municipio. fateor, & addo ex eo municipio, unde iterum iam salus huic urbi imperioq; missa est. sed scire ex te peruelim, quamobrem, qui ex municipiis ueniant, peregrini tibi esse uideantur. nemo enim istuc M. illi Catoni seni, cum plurimos haberet inimicos, nemo Ti. Coruncanio, nemo M. Curio, nemo huic ipsi nostro C. Mario, cum ei multi inuiderent, obiecit unquam. Ex illa porro historia (huc enim ut uenirem paullo fortasse longius superior fluxit oratio) intelligi potest, Latinos ante ciuitatem acceptam in senatum nunquam admissos. Ergo nec Italicos, nec prouinciales, quorum ius incommodius, & minus honestum quam Latinitas extitit. Et hic mos ad DCLXII. annum urbis durauit, ut nemo iure originis in senatum uenerit, nisi Romæ natus, aut in eo municipio, quod non modo munere honorario, ut Cærites, cum populo R. uteretur, sed & ciuitate, & suffragii latione frueretur. Mutata demum est hæc ratio sociali bello, cum Italicis propter ciuitatem denegatam, cuius summa cupiditate flagrabant, gesto, ob quod bellum ciuitatem maximæ datam parti Italiæ, iam a Carolo Sigonio demonstratum est, in extremo libro eorum, in quibus antiqua iura Italiæ rotundissime, & litteris explicauit illustrissimis. Quo in statu & in iis, quæ ueteri nomine coloniæ, præfecturæ, fœderatæ ciuitates, fora, & conciliabula dicebantur, oppidis orti, Romæ magistratus gerebant.

De-

Demonstrabimus autem paullo post, magistratus fuisse patrum conscriptorum quasi seminarium. Nihil uero de priuilegiis loquor. Auctoritate enim, & exemplo Romuli principis, & creatoris urbis, nunquam a Romanis intermissa est largitio & communicatio ciuitatis, præsertim uero benemeritis. Principio quidem, in magna paucitate ciuium, Sabinos, & Albanos, qui in partem ciuitatis uenerant, & pulsis regibus Actium Clausum Regillensem, non solum in patres, sed & in senatum, Plutarcho in Poplicola teste, lectum scimus. Verum occupata Rep. innumerabiles peregrinos senatores Romana curia uidit. C. enim Cæsar, & quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam. Vnde lepidissimus ille libellus propositus est, cuius meminit Suetonius: Bonum factum ne quis senatori nouo curiam monstrare uelit. Et illa uulgo canebantur: Gallos Cæsar in triumphum ducit. Idem, in curia Galli bracchas deposuerũt, Latum clauum sumpserunt. Ac deinceps tantæ possessio dignitatis omnibus gentibus patebat, multiq; urbi Romæ consiliarii fuere, qui eam, ut D. Augustinus loquitur, ne de facie quidem norant. Ita autem bracchati illi patres lecti sunt, ut primum in ciuitatem, deinde in curiam, auctore Suetonio, uenirent: idemq; ordo ab aliis omnibus imperatoribus in honorandis peregrinis obseruabatur. Sed hac de re satis, ac fortasse etiam nimium multa. Quare progrediamur longius, & quorum hominum fidei atque potestati lectio erat senatus commissa, uideamus.

Pro uariis Reip. temporibus, diuersos etiam senatum legisse Romæ, in historiis uidemus. Nã, quoniam urbs Roma sub imperio regum ineuntem illam quasi ætatem exegit, initio quoque arbitrium legendorum senatorum penes reges erat. Ac primum omnium senatum insti-

instituisse Romulum constat. Qua de re sic Dionysius lib. II, Romulus autem, his constitutis, statuit continuo sibi consiliarios cooptare, uirosque centum ex patriciis legit, quibuscum Remp. administraret. Liuius autem hoc modo: Cum iam uirium haud pœniteret, cõsilium deinde uiribus parat. centum creat senatores. Postea uero & Romulus, & ceteri Reges, auctore Sex. Pompeio, sibi legebant, sublegebantq; senatum, & pulsis regibus consules, & tribuni militum consulares. Sed uerba Festi adscribam. Præteriti senatores quondam in opprobrio non erant. ut enim reges sibi legebant, sublegebantq;, quos in consilio publico haberent, ita post exactos eos consules, & tribuni militum consulari potestate coniunctissimos sibi quosque patriciorum, & deinde plebeiorum legebant. Illud tamen uenit in mentem quæri posse, cum tribuni militares primi anno CCCX. ut est apud Liuium, iniissent, annusque sequens, qui consules habuit M. Geganium Macerinum & T. Quinctium Capitolinum, initium censuræ fuerit, quomodo tribuni militares præterire senatores, uel legere potuerunt? Præsertim cũ Liuius dicat, ortum inde censuræ principium, quod in populo per multos annos incenso, neque differri census poterat, neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Additq; Dionysius intra XVII annos, post Q. Fabium L. Cornelium cos. Romæ censum nullum actum. Illud autem constat iis, quæ subsecuta sunt temporibus, & quando Resp. florebat maxime, hoc ius lectionis habuisse censores. Testes requiris? quemcumque appellabo nemo negabit. Liuius lib. IX. Ob infamem atque inuidiosam senatus lectionem uerecundia uictus collega C. Plautius magistratu se abdicauerat. Appius iam inde insitam pertinaciam familiæ gerendo

solus

solus censuram obtinuit. Epitoma lib. XVIII. P. Sempronius Sophus, & Valerius Maximus censores, cum senatum legerent, XIII. senatu mouerunt. Idem lib. XL. Metellum hoc modo facit adhortantem ad concordiam, in campo sedentes, sellis curulibus, ad aram Martis, Lepidum & Fuluium Nobiliorem censores. Quos coniunxit suffragiis suis populus R. hac etiam reconciliatione gratiæ a nobis coniungi sinatis, uno consilio legatis senatum, equites recenseatis, agatis censum, lustrum condatis. Et Cicero pro domo: Vbi cauisti ne meo meloco censor in senatum legeret? Quid dicam de Valerio? qui lib. VIII. ait, M. Perpernam septem tantummodo, quos cēsor legerat, e patribus conscriptis reliquos uidisse. Denique plena est Romana historia innumerabilium testimoniorum. Nominat Festus Ouiniam quandam legem, qua lectionem senatus censoribus commissam esse ait. Illis enim, quæ nūc recitauimus, eius uerbis hæc continentia sunt & adiuncta: Donec Ouinia tribunicia interuenit, qua sanctum est, ut censores ex omni ordine optimum quenque curiatim legerent. Quæ lex quando lata sit incertum est, neque eius alibi in ueterum libris, quos legerim, fit mentio. A Varrone quidem accepi Romæ fuisse gentem Ouiniam. nam in lib. de Re rustica II. inter ea nomina Romanorum, quæ tracta sunt a pecore, & Caprilium, & Ouiniū numerat. Atque Lampridius in uita Seueri, meminit Ouinii Camilli, ex antiqua, ut ait, stirpe, senatoris delicatissimi. crederem tamē pro OVINIVS, in eo libro, FVRIVS reponendum esse. Paulus ille, a quo libri Festi, inuita Minerua, & infelici quodā posteritatis fato, in breuiorē sunt redacti formam, ita hunc locum edidit: Donec potestas tribunicia interuenit, nulla scilicet mentione nominis a legislatore tracti. Sed cur ego meam sententiam non omnibus libere aperio.

rio. Quis enim & si erratum sit, studium tamen, & labo rem, qui in uero exquirendo ponitur, non laudet? Suspe ctus igitur est mihi hoc loco Sex. Põpeius, &, ut credo, non falso suspectus. Etenim est apud Liuium secundos censores, Mamercum, quam primum abiit dictatura, tri bu mouisse, & octuplicato censu ærarium feciſſe. Itaque existimo ego, non ariolans, sed uera & firma nixus con iectura, non alia lege, quam qua creari cœpti sunt, or dinum omnium regimen cẽsores usurpasse. Neque hoc dico quod Festum, uel potius Verrium Flaccum, quem fere sequitur Festus, non fuisse in rebus Rom. peregrinũ atque hospitem ignorem, cuius mihi potius nutus, quã aliorum quorundam iusiurandum faceret fidem. Ve rum in ætatem superiorem omnem confero culpam; nam eius inertia, & iniquitate, lacerata, & corrupta hu ius auctoris præstãtis scripta, uix aliquam sanguinis pu ri guttam hoc tempore retinent. Quod si non libet ab his, quæ in commentariis linguæ Latinæ leguntur, Fe sti uerbis recedere; dicendum est non lustris, uerum sin gulis annis senatũ ante legi solitum, illudq; certum es se, ante annum CCCXIX, & huius ordinis, & totius ci uitatis Romanæ disciplinam censoribus commissam. Nam, & Cicero, ne qua huius antiquitatis dubitatio in animo meo resideat, effecit, cum cẽsorium iudicium no tionemq; quadringentis ante illatam annis, quam Piso, Gabiniusq; consules essent, ait. Animaduerti autem ex tra ordinem dictatorem senatus legendi causſa dictũ a consule Terentio N. Fabium Buteonem. Nec solum Buteo senatum legit, sed & illi, qui Remp. inuaserãt Syl la, & Cæsar dictatores. Et post necẽ Cæsaris Antonius, & IIIuiri, & post hos Octauianus. Ac ne quid prætermisisse uidear de Gracchi, & Drusi lectione infra meam sententiam, ubi de numero senatorũ agam, explicabo.

Ceterum

Ceterum illud huius loci, & temporis est, quod Appianus scribit L. Cornelium Syllam, & Q. Pompeium Rufum consules, propter solitudinem curiæ, senatores adlegisse. Doctissimus uir, & antiquitatis, ueterumq; scriptorum peritissimus putat hoc ita accipiendum, ut hanc lectionem factam a L. Cæsare & P. Crasso censoribus intelligamus. Ego mallem suspicari id extra ordinem factum, turbulentissimo illo præsertim anno, quo a Mario, & consulibus in urbe ipsa ad Esquilias dimicatum est, uictisq; Marianis iam tum quoq; Sylla dominationem sibi quæsiuerat. Qua dominatione moderata, & minime crudeli, pro dignitate, & auctoritate tantum senatus usus est. Nam cum collega & comitia tributa sustulit, ut suffragiis pauperes, atque in his audacissimos quosque spoliaret, & ius ui prius ademptum, patribus restituit, ut nulla ad plebem rogatio ferretur sine senatus cōsulto, &, ut diximus, adlegit in senatum CCC. ut non modo, accisa tribunorum pl. potentia, senatus plus uirium haberet, sed quoniam tum ualde diminutus erat ordinis quoque frequentia. Ac de institutione senatus, & qui nā magistratus senatum Romæ legere solebant, uel aliquādo extra ordinem legerunt, exposui breuiter.

Deinceps de legendi modo dicendum nobis esse uidetur. Dionysius lib. 11. hac ratione, & modo senatum lectum a Romulo tradit. Centum, inquit, uiros ex patriciis ita secreuit; unum ex omnibus præstantissimum, ipse declarauit, quem uoluit præesse rebus urbanis, si quando ad bellum proficisceretur. Deinde iussit singulas tribus tres uiros ætate, prudētia, & genere præcipuos seligere. Post hos nouem singulas curias iussit denuo tres uiros e patriciis maxime idoneos deligere. Adiectis ad illos nouem his x C. quos curiæ crearant, & illo præfecto, quem ipse antea decreuerat, centum sena-

torum numerum expleuit. Ita & illos ex Sabinis a curiis selectos idem Dionysius ait. De aliis regibus, & consulibus tradit Festus eos legisse, sublegisseq; sibi, quos maxime dignos censebant, uel amabant, senatores. Id patet ex eius uerbis, quæ paullo ante attulimus. Sed hæc iterum mihi negotium faceſſunt. Nam huic toti rationi uidetur aduersari Cic. cum in Sextiana inquit: Maiores nostri, cum regum potestatem nõ tulissent, ita magistratus annuos creauerunt, ut consilium Reipub. præponerent sempiternum. deligerentur autem in id consilium ab uniuerso populo, aditusq; in illum summum ordinem omnium ciuium industriæ pateret. Quod incommodum cupiẽti mihi uitare, nulla occurrit uitatio, nisi, aut idem a Cicerone bis dictũ interpretemur, nempe liberata dominatu regio Rep. ex toto corpore ciuitatis, nullo ordinum discrimine senatores lectos, aut habuisse ius consules credamus eos, quos uellent, nominandi, qui quidem senatores essent, si eos populus suis suffragiis approbasset. Et hoc uidetur postremum defendendi Sex. Põpeii genus placere eloquentiæ, omnisq; elegantioris doctrinæ principi Paullo Manutio. Quarum autem rerum reges, & consules in legẽdo rationem habuerint, referam infra, ubi pauca de censoribus dixero; neque res natura coniunctissimas a se separabo. Censores igitur singulis lustris totum senatorium ordinem diligenter examinabant, & in demortuorum locum, uel eorum, quos mouerant, nouos sublegebant. Liuius certe ait lib. XL. senatum a Fuluio & Aemilio biduo lectum. Expleto autem senatorum legitimo numero, & omnium nominibus in tabulas relatis, suo quenque loco iubebant recitare. Vnde inquit Liuius lib. XXIX. Dum hæc consules diuersis regionibus agunt, censores interim Romæ M. Liuius & C. Claudius senatum recitarunt. Et lib.

XXIII.

XXIII. Dixit se transcribi tantum, recitariqúe eos iussurum. Video autem Buteonis dictatoris senatum in foro recitatum. Nam sic scribit Liuius: Ita CLXXVII. cum ingenti approbatione omnium in senatum lectis extemplo se magistratu abdicauit, priuatusque de rostris descendit. Vnde quis suspicari possit, hoc semper eo loco fieri solitum. Sed inter cetera uetustate incognita, hoc quoque in incerto pono. Qui uero primus legebatur, senatus princeps erat, post principem uero senatus, discrimine graduum, & ætatum seruato, ceteri senatores & scribebantur, & recitabantur. Quod de principe senatus dixi, clarum ac perspicuum est ex his Liuii uerbis: Lectus a Sempronio princeps in senatu Q. Fabius Maximus consul. Inde alius lectus senatus. De reliquis senatoribus ex Ciceronis oratione pro domo sua colligo. in qua L. Cottam hominem censorium in senatu iuratum dixisse refert se, si censor tum esset cum ego, inquit, aberam, me meo loco (id est inter consulares) senatorem recitaturum fuisse. Item ex Gellio cum ait hoc modo: Quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias. Atque hinc perspici potest, quem annales populi R. & monumenta uetustatis principem senatus appellent; uerissimmque illud esse, honoris hoc genus iis tantum deferri solitum, qui, auctoritate, & amplitudine rerum gestarum maxime excellebant. Nam dignitate princeps senatus omnes magistratus anteibat, & si nec imperium, nec potestatem haberet. Cuius rei auctorem & præceptorem habeo Zonaram. Ceterum Liuius eo, de quo paullo ante loquebar loco, narrat eum qui ex censoriis uetustissimus esset, senatus principem legi solitum: Cornelius, inquit, morem traditum a patribus sequendum aiebat, ut qui primus censor, ex iis qui uiuerent fuisset, eum principem legerent. Is T. Manlius

lius Torquatus erat. Neq; tamen hanc consuetudinem secutus est Sempronius, sed, cum diu certatum esset uer bis, suo arbitrio fecit principem in senatu Q. Fabium Maximum consulem. Addit Liuius lib. XLIX. nisi senatu motus esset, uno uiuo, alium in locum eius nunquam lectum. Itaque uidemus eundem pluribus lustris senatus principem fuisse. Nam, ut alios prætream, memorat in Bruto Cicero M. Lepidum a sextis censoribus principem senatus recitatum. Facit quoque mentionem sortitionis inter cēsores ueriſſimus index antiquorum institutorum Liuius: Sempronius, inquit, cui dii sortem legendi dedissent, ei ius liberum eosdem dedisse deos aiebat. Atque, ut alia omnia, ita senatus lectionem poterant impedire tribuni pl. Dat huius rei luculentam signi ficationem haud leuis, & incertus testis Dio XXXVII libro, ubi censores quosdam nihil egisse narrat, quod tribuni pl. ne senatum legerent, interceſſissent, ne forte ipsi præterirentur. Atque etiam consules Bubulcum & Barbulam, Appii & Plautii lectionem sine recti prauiq; discrimine ad gratiam & libidinem factam rescidisse, & senatores citasse eo ordine, qui ante fuerat, inuenio. Nunc dicam, qui more maiorum poterant in senatum adscribi.

De senatu cooptando non dubito leges fuisse conscri ptas, quarum tamen nullum omnino extat uestigium. Sed qui in monumentis populi R. uersantur, facile concedent, spectata fuisse genera hominum, ex quibus in eū ordinem cooptari liceret. Ac quod haud leuissimis, & in firmissimis coargui potest coniecturis, cautum fuisse dico de fama, genere, ordine, ætate, magistratu, censu, & quæstu. Quare ordine, quæ de iis rebus obseruaui, quā breuissime & planissime potero explicabo.

Primum autem, quod attinet ad incorruptā famam,

scio

scio, ut improbum senatorem ciuitas habeat neminem, magis optari, & expeti, quam aut effici, aut sperari posse. Neque ausim affirmare multos senatores Romæ, ac ne Scaurum quidem, aut Catulum, aut Nasicam, quos miris in cœlum fert laudibus Cicero, tales fuisse, qualem, ac quantum, in eo libro, quem ad Illustrissimum Comitem, & Senatorem sapientissimum, ac constantissimum, Stanislaum Tarnouium, Sendomirienſem Palatinum breui mittam, informaui, & expressi. Quapropter optimos senatores, & præstantissimos non habuit populus R. improbos uero ne haberet, & si sanxerat, non paucos tamen passus atque expertus est. Sanctionis autem istius, quam dico, hæc sententia fuit, ut est in Cluentiana; Vt hominibus turpi iudicio damnatis, in perpetuum, neque ullum ad honorem, neque in curiam aditus esset. Turpi iudicio nominat condemnatos, ut qui de alea, de falso conuicti sunt, aut furti, uel alterius huiusmodi facinoris, macula famam suam contaminarunt, & uiolarunt. Item illa summæ existimationis iudicia habita Cicero pro Q. Roscio docet, fiduciæ, tutelæ, societatis. Cetera petenda sunt ex Iurisconsultorum commentariis, capite de his, qui notantur infamia. Huc denique referenda erunt & illa, quæ infra de criminibus, ob quæ senatorium nomen perderetur, dicemus.

Genus autem tribus modis spectatum inuenio. Vno, ut solum patricii. Altero, ut, quando iam patebat curia plebeis, ingenuo saltem, nõ libertino sanguine, procreati legerentur. Tertio, quod a Syllæ dominatione ad Cæsaris dictaturam custoditum est, ne proscriptorum filii cooptarentur. Atque ab initio quidem patricios tantum in senatum lectos significat Sex. Pompeius his uerbis: Reges, consules, & tribuni militum consulares legebant

bant sibi coniunctissimos quosque patriciorum, ac dein de plebeiorum. Item Dionysius lib. VII. cum ait: Ab eo tempore opes plebis creuerunt. Patres uero multas partes priscæ amplitudinis amiserunt, cum, & in senatum, & ad magistratus, & ad sacerdotia plebeios admisissent, & reliquorum ornamentorum illos feciissent participes, quæ propria patriciorum fuerant. Propterea illi Romuli, Prisci, & Bruti Valeriiq; consulum primum in patricios relati, post in senatum cooptati sunt, eodem Dionysio teste. Qui autem plebeiis ad publicum consilium aperuerit uiam, adhuc omnes quærunt. Legimus quidem & notauimus apud Liuium P. Licinium Caluum, qui primus de plebe honorem tribunatus militaris consulari potestate delibauit, ueterem senatorem fuisse. Quinimmo & ante, eo tempore, quo Sp. Mælius, post tribunatum pl. gestū, ob affectatam dominationem cæsus est, plebeios legi potuisse, argumento sunt illa Quinctii apud Liuium uerba: Vt quem senatorem uix conquere posset ciuitas regem ferret. Nam ipse Mælius, Liuio auctore, non ex senatorio, sed ex equestri erat ordine. Zonaras tamen iam inde a Seruio Tullio plebeios lectos tradit: Vt gratiam, inquit, plebi referret, cum aliis muneribus illam affecit, tum nonnullos ex plebis corpore in senatum legit. Ac plurimis quidem rebus deteriore quam patricii condicione plebei tum erant, procedente uero tempore interregno, & sacerdotiis quibusdam exceptis, par cum illis ius obtinuerunt. Hæc ille. Nam quod, in lib. de Verborum significatione, Festus refert plebeios a Valerio cōsule adlectos, id ita factum esse, ut docuimus auctorem secuti Dionysium, & ipse Festus alio eiusdem libri loco aperte indicat: Conscripti, inquit, dicebantur, qui patribus adscribebantur, ut numerus senatorum expleretur. Suetonius uero de gente Octauia loquens

loquens mire omnia turbare uidetur. Primum enim dicit eam a Tarquinio Priſco rege inter Romanas gentes adlectam in ſenatum, mox a Ser. Tullio in patricios traductam. Quare illud IN SENATVM abundare libenter exiſtimauerim, additū ab aliquo, qui dictionem adlectam exponeret. Vt autem erratum hoc librariis potius, quam Suetonio uiro eruditiſſimo adſcribo, ita Suidam hominem Græcum de interregno quædam quaſi in ſtrepitu audiſſe, cum patricios decem ex cētum ſenatoribus a Romulo lectos ſcriberet, ſine ulla dubitatione affirmo. Senatorio autem ordine communicato cum familiis plebeiis, alterum inſtitutum inductum obſeruaui, ne ſeruili & libertino ſanguini aditus in curiam eſſet. Cicero in defenſione Cluentii: Gellius cenſor, Popillium, quod erat libertini filius, in ſenatum non legit. Sic & Appius cenſor Piſonis collega, ut eſt apud Dionem, libertinos eiecit ſenatu. Alter uero Appius, qui cū Plautio cenſor XXVI. luſtro fuit, primus in ſupremum ordinem libertinorum filios legit. De hac lectione ſic Liuius extrema pagina lib. IX. ceterum Flauium dixerat ædilem forenſis factio Ap. Claudii cenſura uires nacta, qui ſenatum primus, libertinorū filiis lectis, inquinauerat; & poſteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat, quas petierat opes urbanas, humilibus per omnes tribus diuiſis forum, & campum corrupit. Vſurpat eius rei memoriam & Suetonius in Claudio. Nam inquit: Latum clauum libertini filio tribuit, ſed ſub condicione ſi prius ab equite R. adoptatus eſſet. Ac ſic quoque reprehenſionem uerens, etiam Appium Cæcum cēſorem, generis ſui proauctorem, libertinorum filios in ſenatum adlegiſſe docuit; ignarus temporibus Appii, & deinceps aliquandiu libertinos dictos non ipſos, qui manumitterētur, ſed ingenuos ex his pro

creatos. Neque uero hanc Appii lectionem, ut uocat Liuius, infamem secuti sunt alii censores. Sæpe tamen pleroſque libertinos in curiã irrepſiſſe, nemini dubium eſt. Ac maxime in illa confuſione rerum omnium bello ciuili Pompeiano, & ſub triumuiris. Ceterũ proſcriptorum liberi, ab initio urbis ad bellum Marſicum, altiſſimi ciuitatis gradus poterant eſſe participes. Dionyſius enim narrat lib. IIX. ſupplicio ſumpto de Caſſio mentionem quoq; eius filiorum illatam, ſed iniquum uiſum ſæuire in prolem innocentem. Inde, ait, conſuetudo a Romanis ad noſtram uſque ætatem eſt ſeruata, ne liberi plecterentur, quorum patres damnati eſſent etiam ob grauiſſimum crimen, ut ob affectatam dominationem, aut parricidium, aut proditionem. Sed noſtra memoria fuere, qui poſt Marſicum bellum, contra morem ab antiquis traditum, proſcriptorum a Sylla filios, quoad rerum potiebantur, magiſtratuum petendorum iure priuarent, iisq; aditum ad ſenatorium ordinem interclude rent. Quod exemplo ſane apud homines inuidioſo fecerunt, uindictaq; deorum immortalium digno. Ac certe procedente tempore pœnas iuſtas diuino numini ſcelerum uindici dederunt. Ex tanto enim faſtigio honorum in maximas deiecti ſunt calamitates, atque ex illis familiis ſolæ ſuperſunt fœminæ. Conſuetudo uero illa antiqua, reuocata eſt, & retenta.

Fuiſſe autem hoc moris Iſidorus neſcio de quo uetere auctore accepit, ut quamuis ſenatoria origine eſſet aliquis, tamen ad legitimos annos eques eſſet; deinde uero ſenatorium ordinem iniret. Equeſter enim ordo quaſi gradus ad ſenatorium erat. idcirco Perſeus Macedoniæ rex apud Liuiũ lib. XLII. equites appellat Rom. principes iuuentutis, & ſeminarium ſenatus. Inde, inquit, lectos in patrum numerum conſules imperatores creant.

Aelius

Aelius uero Lampridius multis post annis euersa Rep. idem Alexandrum Seuerum imp. dixisse narrat. Eius hæc sunt uerba: Nunquam libertinos in equestrem locum redegit, asserēs senatorum seminarium equestrem locum esse. Ita, quod omnes sciunt, Brutus, primoribus equestris gradus lectis, senatū expleuit. Hinc & Festus: Adlecti dicebantur, qui ob inopiam ex equestri ordine in senatorum numerum sunt assumpti. Hoc autem modo rationem equitum habitam intelligere oportet, ut qui erant ex infimo ordine, & e plebe, non omnino excluderentur. Sed rarius, & ægrius admitterentur. Nam, & si non parum momenti in publico equo positum fuit, industriæ tamen omnium ciuium ac uirtuti, auctore M. Tullio in Sextiana, in summum ordinem, ac grauissimum consilium, aditus patebat. Atque loco iam sæpe a nobis citato, sanctione ueteri, institutoq; censores ex omni ordine optimum quemque legisse, Festus tradit.

Sequitur ille, quem deinceps proposui, ætatis senatoriæ locus. Non quauis ætate in senatum Romanum cooptari licuisse, satis demonstrant illa Ciceronis uerba, in suasione legis Maniliæ: Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescendi, cuius a senatorio gradu ætas longe abesset, imperium, atque exercitum dari? Et hæc in Plutarchi Pompeio: Sylla triumphum petenti Pompeio obstitit. Etenim inuidiosum ei honorem hunc fore dicebat, si triumpharet pene imberbis, & cui propter ætatem aditus in senatum non pateret. Apud Dionysium quoque lib. VI. annalis huius legis extat uestigium. Nam hoc modo Cassium Postumiumq; consules facit loquentes: Lege, quam feremus de ætate senatoria, coercebimus istam iuuenum intemperiem. Quæ autem hæc ætas fuerit, uideo ab omnibus, qui hanc attigerunt quæstionem, dubitari. Mihi

uero intentis, ut aiunt, oculis hanc rem intuenti, & quã diligentissime perpendenti, non eodem modo, ad tam ambiguam interrogationem uisum est respondere. nam multi tradunt, senatores primos illos senes, & ætate grandes fuisse. Quod indicat in Catilina Sallustius: Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia ualidum erat, Reip. consultabant. Et Cicero in Catone: In agris erant tunc senatores, id est, senes. Item in Fastis Ouidius:

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros.

Et post hos Lactantius Firmianus in lib. de origine erroris: Romulus legit in senatum eos, qui ætate anteibãt. Ac, quoniam uerborum explicatio grauissimis auctoribus probatur, si exquiramus unde uerbum, senatus, sit dictum, senatum multi nominatum a senio credunt. In ea sententia fuisse inuenio Ciceronem in Catone maiore, Ouidium in Fastis, Quinctilianum cap. VI. lib. I. Florum initio suæ historiæ, Plutarchum in eo commentario, in quo disputat, utrum seni sit administranda Resp. & Eutropium libro I. A quibus & si non dissentit Dionysius, tamen & aliam adfert caussam: Is confessus, inquit, uerbo pro uerbo Græce expresso γερουσίαν, hoc est, senatum significat; & nunc quoque eodem nomine a Romanis uocatur. An uero propter senectutem eorum, qui lecti erant, an propter uirtutem, hoc nomen inuenerit, nihil affirmare ausim. Ab antiquis enim, & qui natu grandes, & qui boni uiri essent, γεράντες, id est, senes nominabantur. Ego quia de senatu scribo morem sequor antiquum, & in quam sententiam plures scriptores, quasi discessionem fecere, in ea sum & ipse. Nam, & patres profecto ab ætate nominatos senatores accepimus a Probo in lib. de uiris illustribus: Centum senatores, inquit, ab ætate Patres appellauit. Et a Sal-

lustio

lustio in Catilina, qui sic scribit: Hi, uel ætate, uel curæ similitudine, patres appellabantur. Idem Sex. Pompeius tradit de utroque uocabulo; Senatores, ait, a sene dicti, satis constat, quos initio Romulus legit centum, quorum consilio Remp. administrabat. Itaque etiam patres appellati sunt. Quæ de nominibus istis dixi copiosius hoc loco, quod in ætatis cognitionem pertineret eorum ratio, & interpretatio. Neque enim uereor, ne mihi quis inuideat, quod eadem opera duplicē quodam modo assequor mercedem. Videmus ergo priscos illos Romanorum senatores senes fuisse. Cum autem res Romanorum gestas considero, facile adducor, ut, non multo post immutatum hoc institutum, credam. Quanquam annus ætatis senatoriæ ab antiquis, quos habemus, auctoribus non est proditus litteris. Onuphrius Panuinus, scriptor diligens sane, narrat in commentario primo Fastorum, quando cautum est, uti senatorum filii, cum patribus in curiam, quod illis antea licuit, ne introirent, nisi unus Papirius, qui Prætextatus appellatus est, eodem quoque tēpore S. C. factum, ne cui minori XXV. annis in curiam aditus pateret. Hic ego testem aliquem grauem, & locupletem excitari uolo ex monumentis annalium. Producit non alienum ab religione Plutarchum, in uita Pompei Magni. Neque tamen ego, in eo, quo dicit libro, id scriptum reperire potui, cum totum diligentissime perlegissem. Nisi hoc sit, quod dicit Plutarchus, potuisse ea ætate, qua triumphum ex Africa petebat, Pompeium legi in senatum; uerum maiori sibi honori futurum credidisse, si primus eques Rom. triumphasset. Sed, si sibi constare Plutarchum uolumus, non aliter, quam extra ordinem, & legibus solutum ait cooptari potuisse. Quod nonnunquam tributum magni animi, industriæq; adolescentibus

bus, demonstrant multa clarissima, & illustrissima exempla, ut Octauiani, & aliorum. Atque notum est Pompeium XXIV. ætatis anno, non XXV. expleto, ut ille scripsit, triumphum egisse. Itaque libentius assentior Carolo Sigonio, uiro acumine ingenii summo, & in coniicienda antiquitate prope diuino, qui annum senarium eum, qui sequeretur quæsturam, fuisse suspicatur. Quam coniecturam su am tuetur auctotitate Valerii, cum ait: P. Crasso Q. Fabius narrauit, quod in curia erat actum, memor eum triennio ante quæstorem factum, ignarusq; non dum a censoribus in ordinem senatorum lectum. Neque hoc unum solum, sed multa alia eius rei in ueterum libris uestigia sunt impressa. Et ne alios quæram, apud eundem Valerium ita est lib. VI: C. Marius Arpinatibus honoribus iudicatus inferior, quæsturam Romæ petere ausus est, patientia deinde repulsarum, irrupit magis in curiam, quam uenit. In tribunatus quoque, & ædilitatis petitione cõsimilem campi notam expertus. Haud difficile id etiam est confirmare exemplis. Non pauca enim in ueterum libris notaui, ut Ciceronis. Hic enim, antequam ædilitatem obtinuisset, senatorem se multis indicat in locis. Vt in accusatione Verrina, quando inquit: Declarat hoc meum pudorem, ac religionem, quod cum ueniissem senator ad socios populi R. qui in ea prouincia quæstor fuissem, ad hospites, ac necessarios, caussæ communis defensor, diuerti potius, quam ad eos, qui a me auxilium petiuerũt. Eodẽ modo, Dione teste lib. LIV, Augustus quæstorios, qui censum haberẽt senatoriũ, in senatum legit omnes. Qui tamen me torqueat scrupulus est, quod uerba Sex. Pompei ostendere uidentur neminem, nisi census esset, in senioribus senatorem fuisse. Ait enim: Senatores a senectute dici satis constat, quos initio Romulus legit cen-

centum, quorum consilio Remp. administrabat. Itaque etiam patres appellati sunt. et nunc, cum senatores adesse iubentur, additur. Quibusque in senatu sententiam dicere licet. quia ii, qui post lustrum conditum ex iunioribus magistratum ceperunt, in senatu sententiam dicunt, sed non uocantur senatores ante, quam in senioribus sunt censi. Nescio an intelligat iuniores annis sex & quadraginta, quæ ætas in delectu, spectata est, auctore Tuberone I. & Liuio XLIII. libro. Quod falsum esse multis exemplis conuincitur. Nondum uero aliud quidquam, de senioribus, aut iunioribus, apud bonum scriptorem aliquem reperi. Ita fit, ut, quid uelit Festus, non intelligam. Neque hoc me sententia mouebit, quo minus credam ex quæstura statim aditum patuisse in senatum. Sed quanquam XXVII anno quæstura geri potuit, uix tamen eam quisquam hac ætate habuit; uel si habuisset, raro in sequentem annum lustrum incidebat, propterea; nescio an quisquam ante XXX. annum lectus sit. Ex quo apparet id, quo me coniectura perduxit, non multum discrepare a lege, quam de senatu cooptando Halesinis C. Claudius, & Bythiniis Cn. Pompeius dedit; ne quis XXX. annis minor in senatu esset. Nam hoc sancitum ad exemplum Rom. Reip. facile crediderim. Et licet credere, cum intelligamus ex Plinii ad Traianum Epistolis, ceteris in rebus omnibus, quod ad senatum, magistratus; attinet, a Pompeio disciplinam Bythiniorum Romanis astrictam legibus.

Atque hæc, quæ de ætate diximus, ueriora uidebuntur, si ius magistratus demonstrauerimus. Dico igitur per magistratuum gradus ad amplissimum & altissimum ciuitatis ordinem omnes fere peruenisse. Cuius præcepti principem, & auctorem habeo Liuium, qui narrat, in Pugna Cannensi cæsos LXX. senatores, aut, qui eos ma-

magistratus gessissent, unde in senatum legi deberent. Et Dionem lib. LIV. in quo ait, S. C. fuisse quoddam factum, ut XXuiri ex equitibus crearentur. Quorum deinde, inquit, nullus in senatum est adlectus, nisi quē etiam alium magistratum gessisset, ex quo in senatum legi ius esset. cui non dissimilis uidetur consuetudo, quæ in Rep. nostra obseruatur. Nam, qui ceperunt Pontificatum, aut maiorem magistratum, ut qui Palatini, aut Castellani facti sunt, in maximo, & grauissimo totius Regni Polonici concilio locum habent, & quoniam hi honores perpetui sunt, sine alia lectione ordinem acquirunt senatorium. Sed cum Romanæ Reip. annui magistratus præessent, qui iure magistratus, in curiam ingressi erant, postquam eo abierant, non excludebantur quidem, & sententiam dicere poterant: sed neque fruebantur, neque tenebantur iure supremi ordinis, nisi post essent a censoribus lecti. Quamobrem ait Festus: Qui magistratum ceperunt, non uocantur senatores ante, quam sunt in senioribus censi. et Gellius lib. III. M. Varro, in Satyra Menippea, quæ ἰαπυκίων inscripta est, equites quosdam dicit pedarios appellatos. Videturq; eos significare, qui nondum a censoribus in senatum lecti, senatores quidem non erant, sed quia honoribus populi usi erant, in senatum ueniebant, & sententiæ ius habebant. Nam & curulibus magistratibus functi, qui nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant. &, quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias. Sed quas principes dixerant, in eas discedebant. Quibus ex uerbis, apparet, qui fuerint pedarii senatores. Qui uidelicet in alienam pedibus sæpe irent, raro, & nisi postulata a consule potestate, quia nunquam rogabantur, stantes sententiam dicerent, nec iure tenerentur, aut fruerentur senatorio. De quibus

Cicero

Cicero ad Atticum: Et raptim in eam sententiam pedarii concurrerunt. Item: Est illud S. C. summa pedariorum uoluntate, nullius nostrum auctoritate factum. Atqui, ut Gellius refert, alia etiam uocabuli istius ratio esse dicitur, quam C. Bassus in commentariis suis scriptã reliquerat. De qua aptiore, & commodiore loco. Videtur autem ad hoc tempus, huiusq; libri institutum pertinere, ut de Atinio plebiscito aliquid dicam, ante quod tribunos plebis senatores non fuisse, idem Gellius lib. XIV. narrat. Si enim iure, ut quidam aiunt, magistratus sine cooptatione censoria senatores erant, falsa est definitio senatoris, quam ab initio proposuimus. Sed certum est eius rogationis fuisse hanc sententiam, ut tribuni pl. ex iis, quibus ab aliorum honorum functione, aditus in senatum datus erat, & qui iam senatores erant, crearentur. Etenim gerebatur tribunatus pl. post quæsturam. Hinc Cicero Curioni: Petiui sæpius per litteras, sed tum quasi a senatore nobilissimo, & adolescente gratiosissimo, nunc a Tribuno pl. & a Curione tribuno. Et Suetonius in Augusto: Comitiis tribuniciis, si deessent candidati senatores, ex equitibus Romanis creauit, ita, ut, potestate transacta, in utro uellent ordine manerent. Tribunos autem pl. in senatum lectos a censoribus indicat Liuius lib. XLV. Censoribus, inquit, petentibus, ut ex instituto, ad sarta tecta exigenda, & ad opera, quæ locassent, probanda, anni & bimensis tempus prorogaretur, Cn. Trebellius tribunus, quia lectus non erat in senatum, intercessit. Verum enimuero postea C. Atinius Labeo tribunus pl. cum timeret ne a sequentibus censoribus in senatu legendo præteriretur, quod Q. Metellum Macedonicum censorem de saxo Tarpeio deiici iusserat, eam rogationem tulit? Probabile id quidem est. nam & caussa le-

gis ferendæ aptissima coniicitur, & latoris nomen congruit. Sed uel hoc nos docere potest, quam sint infirmæ omnes in antiquitate concipienda coniecturæ. Extreme enim insanit Piso, qui teste Dione lib. XL. uult mouere Curionem illum tribunum pl. qui bellum ciuile Pompeianum concitauit, si diis ac hominibus inuitis iure tribunatus, quem gerebat, senator fuit; non solum timidus, sed ridiculus est Curio, atque etiam illi tribuni Cæsare & Bibulo cõsulibus, de quibus idē lib. XXXVII. qui propter censorum minas trepidant, & irati magistratus uoces sine potestate, tanquam strepitum inanem, pertimescunt.

De censu porro coniicio ex Asconii uerbis in explicatione Verrinarum: Moris, inquit, erat, cum aliquis ciuis Rom. ostendendus esset, ut significaretur, aut a prænomine suo, aut a nomine, aut a cognomine, aut a tribu, in qua censeretur, aut a curia, aut a censu, ut si esset senator, eques'ue Rom. Item ex Seneca, tum in declamationibus, tum in lib. de beneficiis. Etenim in lib. de beneficiis ita scribit: Video istic mensas, & æstimatum lignum senatoris censu. In declamationibus autem hoc modo: Senatorium gradum census ascendere facit. census Rom. equitem a plebe discernit. Vnde Arnobius scite & pie aduersus gentes lib. IV. Quis ad extremum deã pecuniam esse credat? quam, uelut maximum numen, uestræ indicant litteræ donare anulos aureos, loca in ludis, atque spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinemque magistratus. Multi tamen negant census rationem habitam stante Rep. quod ita scriptum legerint a Plinio lib. XIV. Posteris laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit. Postquam senator censu legi cœptus, iudex fieri censu, magistratum, ducemq; nihil magis exornare quam census, pessum iere

uitæ

uitæ pretia. Sed certe Asconius respexit illud tempus, quo accusabat Cicero Verrem. Atque audiamus etiam Liuium lib. XXII: Cum deessent nautæ, consules ex S. C. edixerunt, ut qui L. Aemilio C. Flaminio censoribus millibus æris quinquaginta ipse, aut pater eius census fuisset, usque ad centum millia, aut cui postea res tanta esset facta, nautam unum, cum sex mensium stipendio daret. qui supra centum millia, usque ad trecenta millia, tres nautas, cum stipendio annuo. qui supra trecenta millia, usque ad decies æris, quinque nautas. qui supra decies, septem. senatores, octo nautas, cum annuo stipendio darent. Qui autem ita edixerunt consules, Q. Fabius Maximus IV. & M. Marcellus III. fuere. Non est igitur recens hoc institutum. Nam quia uidemus seruos ex censu numero constituto, datos ad remum, illiq; dederint septem, qui supra decies æris censum haberent, census senatorum profecto, quia dederant octo nautas, maior erat. Stat & illa pro me ratio, quod cum certus equitum census semper fuerit, nulla potest reddi causa, cur non etiam idem in senatoribus sit obseruatus. Scio multos esse contentionis cupidiores quam ueritatis, qui delicato quodam fastidio inuenta aliorum reiiciant. Quamobrem ut istis præcludatur occasio calumniandi, ad has coniecturas, quæ sane sunt probabiles, perspicuum Liuii testimonium adiiciam, quod eiusmodi est: Cum Sp. Caruilius longa oratione non solum inopiam, sed etiam paucitatem ciuium, ex quibus in patres legerentur, conquestus esset. Diserte, ut exstimo, non tectis uerbis, id, quod dicimus, probat. Reperi autem eam auctoritatem ex XXIII. lib. Quare constat, si non ab initio Reip. at certe iam ante bellum Hannibalis, censum in amplissimo ordine legendo custoditum, eumq; non modo eorum, qui classis quin-

ctæ erant, quod non uult fateri Grucchius, sed illorum quoque, qui supra decies æris possiderent, censu maiorē fuisse, ac nescio an minorem quam C. Cæsaris ætate. Hannibalis deinde bello, infinitis exhausto ærario sumptibus, illa uoluntaria collatio, post aliquot annos, nihil reliquum fecerat senatoribus, prætet anulos sibi, & coniugi, & liberis, & filio bullam, & quibus uxor, filiæ'ue erant, singulas uncias auri pondo, argenti, qui curuli sella sederunt, equi ornamenta, & libras pondo, ut salinum patellamq; deorum causſa habere possent; ceteris senatoribus libram argenti tantum, æris signati quinque millia. Ceterum omne aurum, argentum, æs signatum ad III uiros mensarios, ne Resp. stipendio egeret, collatum est, summo certamine iniecto, ut prima inter primos nomina sua uellent in publicis tabulis esse. Hæc ad uerbum ex XXVI. historiæ Liuianæ libro. Ita Rep. conseruata, & aucta, priuatæ res postea ciuium Romanorum facile creuerunt. Nam doctissimi colligunt uiri, ante Augustum censum senatorium fuisse octingenta millia HS. & post Augustum duodecies. Eius rei testes citant Suetonium, & Dionem. Suetonium in uita Augusti, cum scribit: Senatorium censum ampliauit, ac pro octingentorum millium summa duodecies HS. taxauit, suppleuitq; non habentibus. Dionem uero LIIII. lib. quando ait: Inde senatus iterum lectus est. Cū enim census, qui initio senatoribus, amissis per bella a multis patrimoniis, centum millium erat præfinitus, procedente tempore, magnis partis opibus, ad CCL. millia perductus esset, nemo inueniebatur, qui legi uellet. quin etiã filii senatorum, & nepotes, aut propter angustias rei familiaris, aut propter parentum, & auorum calamitates animis fracti, non modo non appetebant senatoriam dignitatem; sed ea se quoque abdicabant. Centum millia drach-

drachmarum procul omni dubio intelligit, quæ non octingenta, ut Suetonius uult, sunt, sed quadringenta HS Romanorum. Itaque sciendum est Augustum exinanita urbe diminuisse primum censum, & minorem, quam fuisset antea, constituisse; deinde, post continua bella, & proscriptiones recreata ciuitate, & aucta diuitiis, alio decreto, non solum expleuisse superiorem, quem diminuerat, census numerum, sed & ampliasse. Quod ex Dionis uerbis perspicuum est. nam, cum dicit censum fuisse præfinitum centum millium, caussam hanc subiicit: Quod, multi, ait, bellis patrimonia amisissent. Hunc autem censum centum millium non ueterem, sed ab Augusto institutum constat, ex eodem Dionis libro. In quo paullo ante scriptum ita reliquit: Qui centum millia census haberent, eis magistratuum petendorum potestatem dedit. Hunc enim primum constituerat senatoriũ censum, quem deinde usque ad CCL. protulit. Ac de censu ab Augusto aucto, suo loco exquiremus; decies autem æris aureorum sunt, quos uocamus scutatos XV. millia. Verum priusquam auctum esset æris pretium Hannibalis bello, totidem erant, quot X. millia. Octingenta uero HS. millia, & CC. drachmarum cum XXIV. aureorum nostrorum millibus comparo. Neque hic omnia ad uiuum resecauimus, sed lusimus, ut hominum uoluntati morem gereremus, qui cum nostri sæculi opibus antiquas illas diuitias conferre studebunt. Itaque si me pœnitebit, id mihi licere uelim, quod in XII scrupis concedebatur, ut calculum reducam, quo me errasse, repetito lusus totius ordine, recordabor.

Nec solum de censu cautum fuit, uerum etiam de quæstu turpi, & sordido. Etenim Cicero in Verrinis dixit Claudium Pulchrum prætorem ex S. C. leges Halesinis

finis de senatu cooptando conscripsisse, in quibus tum alia multa, tum de quæstu sanxisse, quem qui fecisset ne legeretur. Quod Romæ obseruatum non dubito, ne sordibus illiberalis quæstus maiestas ordinis amplissimi polueretur. Vt si quis egestatem lenocinio sustentasset, aut uocem in lucrum contulisset, aut haruspicinam fecisset, aut ludicram artem exercuisset. De histrionibus patet ex illo D. Augustini loco lib. 1. de ciuitate Dei cap. XIII. Romani uero hominibus scœnicis, nec plebeiã tribum, quanto minus senatoriam curiam, dehonestari sinunt. De præconibus, & haruspicibus indicat Cicero in epistola ad Leptam, in qua in principio ita est: Simul accepi a Seleuco tuas litteras, statim quæsiui e Balbo per codicillos, quid esset in lege, rescripsit, eos, qui facerent præconium, uetari esse in decurionibus; qui fecissent, non uetari. quare bono animo sint & tui, & mei familiares. neque enim erat ferendum, cum, qui hodie haruspicinam facerent, in senatum Romæ legerentur, eos, qui aliquando præconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere. Quod ad lenones attinet, non est ita res obscura, ut testimonium desideret.

Sequitur lectio Buteonis dictatoris, quam Liuius lib. XXIII. & Plutarchus in Fabio, sub bellum II. Punicũ ponunt. Narrat uterque cum dictator M. Iunius Pera in castris esset, alterum quoque eodem tempore in urbe N. Fabium Buteonem, legendi senatus caussa dictum, cum nõ solum conuenientium ad publicum consilium post tot grauissimas clades magna infrequentia, uerum etiam, ut Liuius addit, ciuiũ, qui in patres legerẽtur summa paucitas, & inopia esset. Dictus autem est nocte, ut mos erat, auctore Liuio, ex S. C. cuius a me, referendæ antiquitatis caussa, talis est informata perscriptio.

**. Quod M. Aemilius prætor V. F. de senatu supplendo

do D. E. R. I. C. dictatorem, qui censuram ante gessisset, uetustissimusq; ex iis, qui uiuerent, censoriis esset, senatus legendi caussa, in sex menses, sine magistro equitum, oportere creari, adque eum dicendum consulem Terentium ex Apulia acciri. Qua uero animi moderatione Buteo in dictatura fuerit, quos, & quot numero senatores legerit, pluribus uerbis describit Liuius. Ego tamen hoc solum, quod ad institutam scriptionem pertinere uidebatur, infra apposui: Dixit se neminem senatu moturum ex iis, quos C. Flaminius, L. Aemilius censores in senatum legissent. transcribi tantum, recitariq; eos iussurum, ne penes unum hominem iudicium, arbitriumq; de fama, ac moribus senatoris fuerit, & ita in demortuorum locum sublecturum, ut ordo ordini, non homo homini, prælatus esse uideretur. Recitato uetere senatu, inde primum in demortuorum locum legit, qui post L. Aemilium & C. Flaminium censores curulem magistratum cepissent, nec dum in senatum lecti essent, ut quisque eorum senator primus creatus erat, tum legit qui ædiles, tribuni, prætores, quæstores ue fuerant, tum ex iis, qui spolia ex Romano hoste fixa domi haberent, aut ciuicam coronam accepissent. Ita CLXXVII. cum ingenti approbatione omniũ, in senatum lectis, extemplo se magistratu abdicauit, priuatusq; de rostris descendit. Quod autem narrat eos lectos, qui spolia hostium domi fixa haberent, id ita obseruatum scribit Plinius lib. XXXV. ab antiquis, ut foris, & circum limina maiorum suorum, fortissimorum uirorum, imagines disponerent, affixis hostium spoliis. Neque miror eorum quoque, qui ciuem conseruassent, habitam rationem, cum, ut idem auctor tradit lib. XVI, ineuntibus ludos a senatu assurgi in more esset, sedendiq, ius in proximo senatui haberent.

Dixi

Dixi de N. Buteonis dictatura. Lectionis uero consularis Syllæ, & Rufi, præter id, quod supra attuli ex Appiano, in ueterum libris nullum aliud uestigiũ agnoui.

At in dictatura Sylla senatum ex equitibus supplevit, Liuio teste, lib. LXXXI. Quanquam Dionysius, sub finem lib. V. cum Syllæ crudelitatem, & impotentiam in dictatura commemorat, id ei, inter cetera, uitio uertit, quod nullo discrimine, quosuis in senatum legerit. Et Sallustius multos ex egregariis militibus senatores post Syllæ uictoriam factos prodit. Quomodo uero id fecerit, dubitari non potest, cum scribat Appianus ab eo concessa fuisse tribubus de singulis suffragia. Tacitus in Annali XI. refert, cum ante essent quæstores octo, lege Syllæ uiginti creatos, supplendo senatui, cui iudicia tradiderat.

Iulio Cæsari Africa subacta a senatu decretos, tum alios singulares honores, tum ut moribus præfectus esset in triennium, ex Dione constat. Itaque Cæsarem significat Cicero, cum sic ad Papirium Pætum scribit: Quandiu hic erit, noster hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ. Præfectum autem moribus appellauit senatus, Dione teste, quod censoris nomen parum ei decorum esse putaret. Cæsarem tamen senatum legisse, antequam in Africam traiecisset, reperio apud eundem historicum XLII. lib. Hic peregrinos, milites, libertinos, tonsores, haruspices in senatum legit. De peregrinis patet ex iis, quæ ab initio sunt a nobis disputata. De militibus uero narrat lib. XLII. Dio, in hanc ferme sententiam: Equitibus, centurionibus, & qui his minora in exercitu obibant munera, cum alia præmia tribuit, tum quosdam ex iis, in locum demortuorũ senatorum, sublegit. Et de libertinis lib. XLIII. hoc modo: Adscripsit in senatum plurimos, nullo discrimine siue quis miles,

siue

siue libertinus esset. Lucium uero Licinium tonsorem opulentissimum, senatorem Cæsar fecit, quia dicebatur nimium odisse Pompeium. Hoc Acro in explicatione Poeticæ. alium enim auctorem habeo neminem. Quod attinet ad haruspices, indicio est Ciceronis, quã supra citaui, epistola ad Leptam data. Macrobius scribit, hanc facilitatem Cæsaris in eligendo senatu, Ciceronem palam irrisisse. Nam cum ab hospite suo, P. Mallio, rogaretur, ut eius priuigno, qui decurionatum ambiebat, auxilio esset, assistente frequentia dixit: Romæ, si ius habebit Põpeius, difficile est. Sed quid mirum est Ciceronẽ ioco perstrinxisse Cæsarẽ, cum, ut refert Dio, etiam milites ei in probris, senatus lectionem obiicerẽt.

Antonianæ lectionis mentio fit apud Plutarchum, & Appianum. Hic lib. III refert ab Antonio ex actis Cæsaris, ut fingebat, infinita ciuitatibus, regibus, & amicis, beneficia tributa; & non paucos in senatum adlectos. Ille libro quincto Antonium Cæsaris commentariis multa suo arbitratu adscripsisse tradit, nonnullis magistratus, multis senatorium ordinem dedisse, quosdam etiam ab exilio reduxisse, & publicis uinculis exemisse, hosq; uniuersos per iocum a Romanis χαιφωνίτας appellatos, quod se defuncti Cæsaris commentariis tuerentur. Quæ cum sic prodita, & litterarum monumentis consignata sint a Plutarcho, Suetoniusq; scribat illos indignissimos senatores, qui post necem Cæsaris per gratiam, & præmium erant adlecti, abortiuos uocatos, non dubito eo loco reponendum orcinos. Quod uenit iam ante nos in mentem Petro Victorio, homini summa doctrina prædito. Sic enim & liberti quidam orcini dicuntur, ut in iure ciuili didicimus, qui directam ex testamento accepere libertatem, nec unquam patronum uiuum habuere.

Subsequuta est deinde IIIIuirum R.C. lectio, multò magis infamis. Nam ab his, L. Marcio, & C. Sabino cos. socios, milites, libertinos, atque etiam seruos in senatum cooptatos ex XLIIX. lib. Dionis intelligi potest.

Restat ut de temporibus Augusti dicamus. Cum anno DCCXXVI. Augustus imperium Cæsaris, quod deuicto Antonio ad Actium ipse sibi uendicauit, confirmasset, post aliquot annos censoriam potestatem in perpetuum populus ei mandare cupiebat, quam ille repudiauit, ac statim creauit alios censores Paullum, Plancumq;. Hos ultimos priuatos censuram obtinuisse tradunt. Qui censores utrum senatum legerint, nec ne, compertum non habeo. Verum illæ quinque non sunt prætermittendæ Augusti lectiones, quas Dio memoriæ & litteris prodidit. Primum igitur in Appulei, & suo quincto consulatu Augustus cum Agrippa censor, annos fere octo ante illos, quos modo nominaui, senatum legit; & quoniam Rep. laborante plurimi, ut diserui, indignissimi, & fœdissimi homines in senatum irrepserant, & propterea ad M. usque senatorum numerus excreuerat, eum ordinem perpurgauit, & pristino nitori restituit. qua lectione multos, qui sibi libertini generis, uel alicuius criminis conscii essent, adhortatione sua leuissima, permouit, ut in quod patrimonium quasi dignitatis inuaserant, de eius possessione sponte decederent. Deinde, P. & Cn. Lentulis cos. præfectus morũ in quinquennium, cum senatum legere instituisset, ne mouendis senatoribus in odium incurreret, iuratus se eos, quibus plurimum confideret, delecturum, XXX. creauit uiros; quorum singulos, iureiurando eodem adactos, iussit quinque ciuium nomina edere, quos maxime idoneos ad senatoria munera obeunda ducerent,

& ex his quinque sorte unus in senatum cooptabatur. Si uero nomẽ alicuius, qui non adesset, primum exiret, res iterum reuocabatur ad sortem. Sed cum ita aliquot diebus res acta esset, reliquos, ad explendum numerum DC. senatorum, ipse arbitratu suo legit, propter fraudem, & XXXuirum quorundam, & Quæstorum, quibus tabellas crediderat, quas nominibus inscriptis quinque illorum ciuium in urnam coniicerent, ut deinde manibus pueri ducerentur. Mox Licinium Regulum narrat Dio, grauiter conquestum esse de sortis iniustitia, quæ se dignitate senatoria spoliarit, eamq; filio suo, & quibusdam aliis, nullo modo secum comparandis, detulerit; & enumeratis stipendiis, ueste lacerata in curia, ut cicatrices ostenderet, corpus denudasse: atque etiam alium quendam, cui Articuleio Pæto nomen erat, ut sibi patri loco cedere liceret, omnibus precibus obsecrasse; huiusq; pietate, & illius querimonia adductum Octauianum, & quod non paucos indignos illa lectione cooptatos uideret, totum ab initio senatum recitasse ait, & nonnullis senatu motis, alios sublegisse. Tertio senatum legit Augustus Tiberio, & Quinctilio cos. quo tempore aucto censu, cum nemo senator esse uellet, & ideo ne tribunatum quidem quisquam peteret, ex quæstoriis, & nondum XL. annos natis tribuni pl. ut fierent aliqui omnes ipse perquisiuit, ac eos quidem, qui XXXV. annum (nescio an LXV. dicere uelit) excesserant, præteriit: qui uero infra eam ætatem erant, & censum senatorium habebant, nisi qui membris capti essent, senatores esse coegit. Quincto Augustus præfectus item morum Iulio & Fabio cos. senatum legit. Sexto Sabino, & Rufo, ut arbitror, cos. Legit autem per IIIIuiros, quos ex decem senatoribus, quorum maxime habebat probitatem, & fidem perspectam,

ctam, ſorte creauit. Ad hos Suetonius ſpectauit cum in uita Auguſti illa ſcripſit: Quo plures partem adminiſtrandæ Reip. caperent, noua officia excogitauit. Curam operum publicorum, uiarum, aquarum, aluei Tyberis, frumenti populo diuidendi, præfecturam urbis, IIIuiratum legendi ſenatus, & alterum recognoſcendi turmas equitum. Lectiones uero illas, nunc a nobis ope hiſtoriarum Dionis pluribus uerbis commemoratas, uix attigit Suetonius. Namq; hoc ſolum de iis reperi in eius commentario: Senatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba (erant enim ſuper mille, & quidam indigniſſimi, poſt necem Cæſaris, per gratiam, & præmium adlecti, quos orcinos uulgus uocabat) ad modum priſtinum & ſplendorem redegit duabus lectionibus, prima ipſorum arbitratu, quo uir uirum legit, ſecunda ſuo & Agrippæ, quo tempore æſtimatur lorica ſub ueſte munitus, ferroq; cinctus præſediſſe, decem ualentiſſimis ſenatorii ordinis amicis ſellam ſuam circumſtantibus. Cordus Cremutius ſcribit, ne admiſſum quidem tunc quenquam ſenatorum, niſi ſolum, & prætentato ſinu. Quoſdam ad excuſandi ſe uerecundiã compulit, ſeruauitq;, etiam excuſantibus, inſigne ueſtis, & ſpectandi in orcheſtra, epulandiq; publice ius. Suſpicor autem ab Auguſto multa ad perpetuitatem de ſenatu cooptando ſancita, duo tamen illius tantum inſtituta ad eam rem pertinentia, ueterum annalium auxilio, tanquam duæ tabulæ e naufragio quodam, ſeruata ſunt. Primum enim intulit Dione auctore lib. LV. ut quotannis ſenatorum nomina perſcripta in albo proponerentur. Deinde, quod ante diximus, cenſum auxit. Illud Marcio & Aſinio conſulibus cœptum Dio aperte dicit; hoc uero ante lectionem tertiam factum ex eo loco eiuſdem hiſtorici coniicio, ubi ait, cenſu prolato ad

ducenta

ducenta & quinquaginta millia, qui senator esse uellet reperiri potuisse neminem. Ceterum ducenta & quinquaginta millia drachmarum, decies sunt HS. non duodecies, quod scribit Suetonius. Duodecies autem HS. trecētis millibus drachmarum respondent. Quem octoginta senatorum tantum, non omnium, censum prodit Dio lib. XLV. Quoniam, inquit, multi senatores, & equites citra suam culpam redigebantur ad paupertatem, plerisque constitutum censum eorum ordini suppleuit, octoginta autem quibusdam usque ad trecenta millia ampliauit. CCL. millia drachmarum & decies HS. fere sunt XXX. aureorum nostri temporis millia; & duodecies HS. itemq; CCC. millia drachmarum circiter XXXVI. millia. Verum & alium ab initio intulerat, ut differui, Augustus senatorium censum. Is centum drachmarum, hoc est HS. fere CCCC millia erat, quibus XII. millia aureorum opponunt rerum, nummorumq; antiquorum periti:

De senatus lectione satis a nobis est disputatum. Deinceps ad eam curam toto pectore incumbemus, ut senatoris Rom. statum exprimamus, & quasi ante oculos lectorum constituamus. Quæramus igitur primum quid muneris sustinerent senatores; deinde quibus in rebus durior illis uitæ conditio quam reliquis ciuibus esset constituta; tum postremo quæ præmia, & ornamenta haberent.

Maximum ac potissimum senatorum munus erat de Rep. cum magistratibus consultare. Neque hoc in senatu solum, uerum etiam in ducum potestatumue, ut Plinius uocat, consiliis. In quibus præcipuas partes senatorum fuisse, non obscure significare uidetur Sallustius cum ait: Metellus propere cunctos senatorii ordinis ex hibernis accersiri iubet, eorum, & aliorum, quos idoneos

neos ducebat, consilium habet. Ita more maiorum ex consilii decreto per legatos Iugurthæ imperat argenti pondo ducenta millia.

Cetera uero senatoria munera inuestiganti mihi accuratius, primo loco iudicia occurrunt. Principio Romulus Dionysio lib. II. teste, ita iudicandi munus partitus erat cum senatoribus, ut illis tantum rerum leuiorum cognitionem permitteret; sibi autem non solum criminum, quibus Resp. læderetur, uindicationem, sed & priuatæ cuiusq; caussæ maximi momenti iudicium omne reseruauerat. Idem historicus infra Ser. Tullium, uelut operis maximi auctorem, laudat, quod priuatos iudices omnium priuatarum cõtrouersiarum constituisset. Verum regiorum iudiciorum omnis fere memoria uetustate obliterata euanuit. Illud autem æternis litterarum notis testatum ab historicis omnibus est, senatorium ordinem solum iudicasse, a primis libertatis temporibus, ad annum DCXXX. ab urbe condita. tot enim numerantur ad tribunatum C. Gracchi, qui sua lege iudicia senatui eripuit, & ad equites transtulit. Quod cum alii sexcenti, tum M. Varro apud Nonium aperte demonstrat his uerbis: C. Gracchus senatui iniquus, equestri ordini iudicia tradidit, ac bicipitem ciuitatem fecit, discordiarum ciuilium fontem. Prudenter sane, quoniam hac quasi materia præbita occultis odiorum scintillis, grauissima dissensionũ inter ordines incẽdia, breui tempore, exarserunt: & cum iudicia modo huc, modo illuc transferrentur, & ab altera parte semper maxima animorum contentione repeterentur, inde ad exitum usque Reip. nullus finis certaminum fuit. Itaque cũ XVI. annos tantum essent penes equites, mox consulari Seruilii Cæpionis lege, ut refert Obsequens, utrique ordini communicata sunt. Neque hic cogitationum suarum

rum aculeos doctissimi uiri dissimularunt. Etenim quærunt quid causſæ fuerit, cur de eadem lege Drusus tribunus pl. anno DCLXII. referret. Atque huius difficultatis explicandæ duplex adhuc reperta est ratio. Alii minorem fuisse lege Seruilia numerum senatorum dicunt, & opinantur hoc esse, quod in epitomis Liuii de sexcentis equitibus, trecentis senatoribus admixtis, ad C. Gracchi rogationem refertur: idcircoq; postea Drusum lege cõmisisse iudicia trecentis equitibus, totidemq; senatoribus, ut amplissimus ordo, cuius dignitati mirum in modum fauebat, multitudinem alterius assequeretur, & exæquaret. Quidam uero ex eo concludunt, rogationẽ Seruiliam, aut Q. Cæpione latore damnato abrogatã, aut certe nũquam seruatam. Id quod magis placet, scriptum est enim apud Ciceronem in oratione pro C. Cornelio, primum lege Plotia senatores cum equitibus iudicasse. Legibus enim Liuiis quoque S. C. sublatis, ad pristinum statum res iudiciaria redierat. Plotiæ autem tribuniciæ hæc fuit sententia, ut singulæ tribus suffragiis quinos denos per annum iudicaturos crearent, ex eoq; factum esse ait Asconius, ut senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam de plebe. Tandem iterum soli senatores iudicarunt lege Syllæ dictatoris. Hic enim rerum potitus equites, quod partes Cinnæ fouissent, iudiciorum regno spoliauit. Sylla autem mortuo Aurelius Cotta prætor iudicia diuisit, inter senatores, equites, & tribunos ærarios. Omitto legem Pompeiam consularem, nihil enim de ordinibus mutauit. Senatorum porro, qui ea tempestate iudicarẽt, numerus notatur in ueteri senatusconsulto, Cœlii epistolis interposito, cuius caput quoddam tale est: Et cum de ea re ad senatum referretur a consulibus, qui eorum in CCC. iudicibus essent, sex abducere liceret. Plutarchus uero

in

in Pompeio, & Paterculus lib. II. CCCLX. edunt. Propereaq; uereor ne lacuna sit in libro Cœlii. Mendosum certe esse argumẽto est dictio, SEX, nõ opportuno loco collocata. Iudicum autem senatorii tantum ordinis hãc fuisse summam, & si neque in S. C. neque in Plutarchi, Velleiiq; historia id expressum sit, ex eo licet existimare, quod uniuersos iudices DCCCL. Cicero lib. VIII. ad Atticum numerat. Inde Cæsar dictator ad equites, & senatores iudicia redegit, tribunos ærarios sustulit. Post M. Antonius ad duas decurias senatorum, & equitum, tertiam centurionum, ac manipulariorum legionis Alaudæ; & mox Augustus quartam ducenariorum adiunxit. Verum quidem hæc hactenus. Plura qui uolet librum de Legibus Paulli Manutii diligenter legat, a quo omnis huius loci quæstio plene cumulateque est perfecta.

Vetus etiam institutum fuit, ut publici populi R. nuncii, cum mandatis ad exteras nationes, ex solo ordine senatorio mitterentur. Ac huius quidem rei testem habemus Liuium libro IIII. Solitudinem, ait, in ciuitate ægra experti consules sunt, cum in legationes non plus binis senatoribus inuenientes, coacti sunt binos equites adiicere. De ultimis Reip. temporibus nulla, quod sciam, extat ueterum auctoritas; neque aliquo exemplo hoc obeundarum legationum munus communicatum cum aliis ordinibus probari potest. Nam Seruium Honoratum ego non arbitror esse antiquitatis auctorem satis idoneum, qui cum lib. II. Virg. Aeneam ex omni ordine ad Latinũ oratores delegisse fingit, expressam ab eo ueterem dimittendarũ legationum rationem, quæ ad suam usq; ætatem permanarit, interpretatur. Fetiales certe constat non fuisse senatores. Liuius lib. XXXI. Consuli a patribus commissum est, ut quem uide-

uideretur, ex iis, qui extra senatum essent, legatum mitteret ad bellum regi indicendum. Atque etiam imperatores nonnunquam sibi legasse in equestri adhuc ordine constitutos, certum est. Scribit enim Cornelius Nepos, Atticum equitem Rom. ne cum Q. quidem Cicerone uoluisse ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset.

Iam uero cum senatorio ordine magistratus colligati, atq; uinculo quodam constricti erant. Docet hoc Cicero in Cluentiana his uerbis: Senatorem hoc queri non posse, quod ea conditione honores petere cœpisset, quodq; permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset, locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen, & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, prouinciæ. Et in defensione Postumi, cum de equitibus loquitur: Quonam modo se defendent posthac qui uestri ordinis, cũ magistratibus nostris, his erunt caussis implicati. Et supra in eadem oratione: Delectat amplissimus ciuitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, prouinciæ, sacerdotia, triumphi. De prouinciis autem, sunt etiam hæc apud Florum: Quid ad ius libertatis magis efficax, quam ut, senatu regente prouincias, ordinis equestris auctoritas saltem iudiciorum regno ni teretur. Fere enim prouinciæ, & imperia senatoribus mandabantur, uel iis, qui iure magistratuum in senatum uenerant. Raro equitibus, ac nescio an alicui stante Rep. præter Pompeium, quem cum XX. & III. annũ uix excessisset, a Sylla aduersus Carbonem, & Perpernam cum imperio missum constat. Hinc M. Tullius in Pompeiana: Quid tam præter consuetudinem, quàm homini peradolescenti, cuius a senatorio gradu ætas longe abesset, imperium, atque exercitum dari? Siciliam

permitti, atque Africam, bellumq́; in ea administrandum? Ceterum narrat Dio lib. LIII. Augustum aliis prouinciis senatores præfecisse, Aegypto autem equites, quod eam gentem haberet suspectam, ne nouis rebus studeret. Quoniam uero idem tradit infra lib. LIIII. ampliato censu, in magna paucitate senatorum XX uiros ex equitibus constitutos; quorũ sunt IIIuiri capitales, IIIuiri, auro, argento, ære, flando feriundo, IIIuiri uiarum in urbe muniendarum, & Xuiri stlitibus iudicandis; IIuiros autem uiarum extra urbem substruendarum, marginandarumq́;, & IIIIuiros, qui in Campaniam mittebantur, abrogatos; inde fit ut ista quoque in hunc numerum referenda existimem. Xuiri quidem stlitibus iudicandis, præerant iis iudiciis, quæ ad centumuiros sorte deferebantur. At hoc munus quæstorii antea obibant. Est enim ex Suetonio minime dubium hac de re argumentum: Auctor, inquit, fuit, ut centumuiralẽ hastam, quam quæstura functi cogere consueuerant, Xuiri cogerent. Ad eius rei illustrationem facit quoque monumentum, patrum nostrorũ memoria repertum, cũ indice tali: SCAEVA. QVAESTOR. XVIR. STLITIBVS. IVDICANDIS. S. C. POST. QVAESTVRAM. ET. XVIRATVM. STLITIBVS. TRIB. PL. &c. Eodem modo ex Plutarcho reperi Cæsarem Appiæ uiæ sternendæ, muniendæq́; post quæsturam præfectum.

Vtrum autem in rebus diuinis aliquid operæ, & curæ a senatoribus poneretur, nec ne, nihil certi scio. Nisi forte lectum sternerent, quoties pacem Deorum, grauissimis pressa calamitatibus, ciuitas exposceret. Sic enim Liuius narrat lib. XXII. Postremo ex libris Decembri iam mense immolatum est, lectisterniumq́; imperatum, & eum lectum senatores strauerunt. Sed non ausim affirmare, hoc perpetuo in Rep. Romana custoditũ,

cum

cum nullum habeam scriptorem, quo satis certo auctore stari possit. Illud testimonio Ciceronis in caussa Rabirii Postumi, & Dionysii Halicarnassei lib. VIII. firmũ ratumq; est, sacerdotia ad ciues nobilissimos, & fere senatorii ordinis deferri solita.

His ita constitutis, quæ onera legum, ac iudiciorum senatoribus imposita essent, uideamus. Ac primum hæc tot fuisse, & adeo grauia, ut optime cum iis agi uideretur, qui in inferiore ciuitatis gradu constitissent, nemo ueterum scriptorum non omni asseueratione affirmat. Sed unus mihi pro cunctis est Cicero. Quid igitur hic scribit? Multa sunt, ait, imposita huic ordini onera, multi labores, multa pericula, non solum legum, ac iudiciorum, sed etiam rumorum, ac temporum. Sic in Frumentaria; in Cluentiana uero hoc modo: Iniquum tibi uidetur Acci esse, non iisdem legibus omnes teneri. Primum, ut id iniquissimum esse confitear, huiusmodi est, ut commutatis eis opus sit legibus, non ut iis, quæ sunt non pareamus: deinde quis unquam hoc senator accusauit, ut cum altiorem gradum dignitatis beneficio populi R. esset consecutus, eo se putaret durioribus legum conditionibus uti non oportere? quam multa sunt commoda quibus caremus, quam multa molesta ac difficilia, quæ subimus? atq; hæc omnia tantũ honoris & amplitudinis commodis compensantur. Quarum quidem omnium rerum utinam nobis monumenta litteræ prodidissent. Verum nostræ est diligentiæ has perquirere, quæ in locis reconditis abditæ latent.

Ordiamur autem ab illa lege de indicio, cuius & si annus tanto temporis (quod ne sibi quidem ipsi parcit) interuallo exoleuerit, uetustissimam tamen esse haud inuitus crediderim. His, qui proditionis, maiestatis, uel alterius id genus facinoris latebras detexissent, si eius

conſcii reperirentur, impunitas dabatur. Solis ſenatoribus indicium profiteri, ſaluis legibus, nunquam licuit. Auctor eſt, quem ueriſſimum, & certiſſimum omnes appellant, Aſconius in commentario diuinationis in Cæcilium Nigrum.

Ignoratur etiã quando illud inductum ſit in Remp. inſtitutum, ne ſenatoribus Italia egredi liceret, niſi ius haberent legationis liberum. Non licuiſſe uero ut credam eo ducor, quem ſubſcribam, Ciceronis loco lib. IIX. ad Atticum. Quod uideris non dubitare, ſi conſules tranſeant, quid nos facere oporteat, certe tranſeunt, uel, quomodo nunc eſt, tranſierunt. Sed memento præter Appium neminem eſſe fere, qui ius non habeat tranſeundi. Nam aut cum imperio ſunt, ut Pompeius, ut Scipio, Fannius, Voconius, Sextius, ipſi conſules; quibus more maiorum conceſſum eſt uel omnes adire prouincias, aut legati ſunt eorum. Ergo hi tantum tranſeundi mare poteſtatem habebant, & præter hos nemo. Quæ & ſi tecte ſcribuntur a Cicerone, ita tamen, ut facile poſſimus imaginẽ antiqui moris cognoſcere. Quod ſi quis repugnat, nec manus dare uult, appellabo Dionem, qui hoc non innuit, ſed dicit nominatim: Iuſſit, inquit, ut ſenatores omnes, omnesq; ſe magiſtratus ſequerentur, propoſito S.C. quo impunitatem eius demigrationis oſtendebat. Poſt hoc S. C. cum multa alia, grauiſſimis illis motibus concitata ciuitate, perperam, & temere fierent; tum etiam contra morem maiorum ſenatores per gentes, per omnes prouincias uolitabant, donec interceſſit Auguſti decretum, cuius apud Dionem lib. LII. extat memoria; ne quis ſenator, niſi id ipſe permiſiſſet, Italiæ fines excederet. Ante occaſum autem Reip. liberæ legationes a ſenatu dabantur; demum homines populares, cum eas a ſenatu impetrare non poſ

ſent,

sent, ad populum confugere cœperant. Scriptum enim est in quadam Epistola ad Q. Fratrem: Illud quod cupit Clodius, est legatio aliqua, si minus per senatum, per populum libera. Dabatur uero libera legatio, uel negotii priuati procurandi, uel pecuniæ exigendæ, uel hereditatis obeundæ, uel uoti soluendi caussa. Negotii priuati, Cicero in II. Rulliana: Legatos nostros, qui rerum priuatarum caussa legationes obeunt. Exigendæ pecuniæ, idem pro Flacco: Legationes sumere liberas exigendi caussa iustum est. Hereditatis obeundæ, ut de lege Agraria K. Ian. Hereditatum obeundarum caussa, quibus uos legationes dedistis. Voti soluendi, ad Atticum epistola, Post tuum, libri XV: Scripsi ad Eutrapelum, ut is meas litteras redderet, legatione mihi opus esse. Honestior est uotiua, sed licet uti utraque. Quidam uero præter rationem scripserunt, cõcedi quoque solitas, otiosæ cessationis, suffragatorum conciliandorum, periculi uitandi gratia. Quorum primum ex lib. I. Legum, alterum ex tertia ad Terentiam, postremum ex prima ad Atticum epistola, posse inueniri putant. Sed eorum locorum expositiones, quas illi litteris tradiderunt, a uera sententia longe aberrant. Quanquam enim senatores ea, quæ dicunt, proposita haberent, alias tamen caussas petendi honestiores prætendebant. Harum legationum nullum tempus definitum fuit, ante Ciceronis consulatum. Vnde III. de legibus hoc modo loquitur: Sed quæro quid reipsa turpius, quam sine procuratione senator, legatus sine mandatis, sine ullo Reip. munere? quod quidem legationis genus ego consul, quanquam ad commodum senatus pertinere uideatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi leuissimus tribunus pl. intercessisset, sustulissem: tamen minui tempus, & quod erat infinitum, annuum feci.

ita

ita turpitudo manet, diuturnitate ſublata. Fuit item lex Iulia conſularis, de legationum tempore. De qua epiſtola ad Atticum 11. libri x v. Dolabella me ſibi legauit ad 1111. non. Apr. id mihi heri ueſperi nunciatum eſt. uotiua ne tibi quidem placebat. etenim erat abſurdum, quæ ſi ſtetiſſet Reſp. uouiſſem, ea me, euerſa illa, uota diſſoluere. & habent, opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Iulia, nec facile addi poteſt: idq; adeo genus legationis, ut cum uelis introire, exire liceat, quod nunc mihi additum eſt. bella eſt autem huius iuris quinquennii licentia. Sed propoſitum perſequamur.

Referendum in hunc numerum exiſtimaui & inſtitutum de cenſu. Non enim tantum ad conſequendum ſenatorium gradum cenſus requirebatur, uerum etiam ad tuendum. Et ne abſque pignore, ut aiunt, nobis creda tur, dico me id hauſiſſe ex illo eloquentiæ, & morum antiquorum fonte M. Cicerone. Nam hæc eius uerba, in litteris ad Q. Orcam datis, nihil aliud ſignificant: C. Curtius habet in Volaterrano poſſeſſionem. hoc autem tempore Cæſar eum in ſenatum legit, quem ordinem ille, iſta poſſeſſione amiſsa, uix tueri poteſt. Cum Ciceronis epiſtola congruit Annalis ſecundus Taciti. In eo libro ſic eſt: Ceterum, ut honeſtam innocentium paupertatem leuauit, ita prodigos, & ob flagitia egentes Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Syllam, Q. Vitellium, mouit ſenatu, aut ſponte cedere paſſus eſt.

Aduerſus ſenatum quoque fuit lex de redemptionibus, ne quid ſenatori, præter illa, quæ erant nominatim excepta, redimere ab ærario liceret. Pedianus in poſteriorem earum, quæ integræ non extant, pro Cornelio: Antonius redẽptas habebat ab ærario uectigales quadrigas, quam redemptionem ſenatori habere licet per legẽ.

Num

Nunc eas leges, eaq; instituta, quorum auctores annalium litteris celebrantur, ordine temporum seruato referamus. Antiquissima in his est Claudia tribunicia, P. Cornelio & T. Sempronio cos., ut Liuius prodit, lata: Ne quis senator, quiue senatoris pater fuisset, maritimam nauem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris uectandos. quæstus omnis patribus indecorus uisus est. Vtitur ea lege Cicero in oratione de suppliciis.

Post Claudiam uenit in mentem Sulpicia, & ipsa tribunicia, de qua Plutarchus in Sylla: Cum legem tulisset, ne quis senator supra duo millia denarium deberet, repertum est eum, cũ moreretur, ære alieno obstrictum fuisse, ad centum & uicies HS.

Ac ne illud quidem alienum est facere mentionem hoc loco legis a Sylla dictatore latæ, ut de nummariis iudicibus, de corruptoribus iudiciorum, deq; fictis & mercenariis testibus quæreretur. quæ crimina, cum aliis quibusdam, uno nomine falsi continebantur. Ante fuit etiam nescio quid eius rei a C. Graccho rogatum, placuit tamen eam potius tribuere Syllæ, cum ab omnibus Cornelia, non Sempronia nominetur. Ratio uero cur hanc legem non putarim silentio prætereundam, hæc me impulit, quod uiderem, a Cicerone in Cluentiana non semel dictum, hoc genere quæstionis senatores tantum, & eos, qui magistratum habuerunt, alligatos esse. Etenim caput de falsis testibus ita tractat: Quis de plebe Romana testimonium dixit unquã, cui non hoc periculum T. Accio auctore paratum esse uideatis? nam dicturum quidem certe, si hoc iudicium plebi Romanæ propositum sit, neminem unquam esse confirmo. De iis uero, qui conuenerunt, quo quis iudicio condemnaretur, sic agit: Vt hæc ad me causa delata est, qui leges eas, ad

quas

quas adhibemur,& in quibus uersamur,nosse deberem; dixi Habito statim, de eo, qui coisset, quo quis condemnaretur, illum esse liberum, teneri autem nostrum ordinem. Et infra: Illi non hoc recusabant, ea ne lege accusarentur, qua nunc Habitus accusatur, quæ tunc erat Sempronia, nunc est Cornelia: intelligebant enim ea lege equestrem ordinem non teneri. Et cum senatores, equites, & tribuni ærarii, per legem Aureliam, iudicarent, illo capite, quo constituitur quæstio, in eos, qui, corrupti pecunia, innocentem damnarunt, aut nocentem absoluerunt, solos senatores ait teneri. Fidiculanius quid fecisse dicebatur? accepisse a Cluentio H-S. CCCC. cuius erat ordinis? senatorii. qua lege in eo genere a senatore ratio repeti solet de pecuniis repetūdis, ea lege accusatus, honestissime est absolutus. Itidem in Postumiana dicit. Potentissimo,& nobilissimo tribuno pl.M. Druso,unam in equestrem ordinem quæstionem ferenti, si quis ob rem iudicatam, pecuniam cepisset, aperte equites Rom.restiterunt.Notauimus quidē lib.1. ad Atticum, Epistola Magna mihi, cum post absolutum Clodium, promulgatum ex S.C. esset, ut de iis, qui ob iudicandum, pecuniam accepissent, quæreretur, equites hoc ualde grauiter tulisse. & ex iurisconsultorum, qui eam legem interpretati sunt, commentariis intelligimus, de omnibus, qui hæc crimina admittunt, tanquam Cornelia lege teneātur, pronunciandum esse.Itaque hoc magnopere considerare oportet, utrum Cicero in Cluentiana uere serioq; loquatur, an tempori caussæq; seruiat.

Adhæc scripserunt quidam se legisse in Suetonio, lege Cornelia de fictis testamentis, neminem præter senatores fuisse alligatum. Non satis intelligenter meo quidem iudicio. Non enim id cogi potest ex Suetonii uerbis,

bis, quæ eiusmodi sunt: Cum de falso testamento ageretur, omnesq; senatores lege Cornelia tenerentur.

Noster uero Cicero grauissimam ambitus pœnam senatoribus irrogauit. Tulit enim in consulatu, ut senatoribus ambitus damnatis aqua & igni ad annos decem interdiceretur. Eius legis multa uestigia iampridem doctissimi uiri ostenderunt. Nos unum tantum testimoniũ instituti nostri tuendi caussa apponemus. Cicero pro Murena: Legem ambitus flagitasti, quæ tibi non deerat: erat enim seueriſſime scripta Calpurnia. gestus est mos & uoluntati, & dignitati tuæ. Sed tota illa lex accusationem tuam, si haberes nocentem reum, fortasse armasset; petitioni uero refragata est. pœna grauior in plebem tua uoce effiagitata est: commoti animi tenuiorum. exilium in nostrum ordinem: concessit senatus postulationi tuæ, sed non libenter duriorem fortunæ communi conditionem te auctore constituit.

Neque excluditur ab hoc genere IIIIuirum R. C. institutum, quod tamen paullo post Augusto imperante mutatum est. Sanxisse uidentur IIIIuiri, ut senatores uias suis munirent sumptibus. Dio lib. XLVII, senatores scribit, uias suis sumptibus munire coactos. Libro uero LIII: Ceteræ deinde, inquit, uiæ munitæ, siue publico, (neque enim senatores libenter impensas faciebant) siue ipsius Augusti sumptu.

Ab iisdem decretum est, ut, qui senatores, aut senatorum filii, natalem Cæsaris diem lauro coronati non celebrassent, ii multã decies HS. pẽderent. Dio lib. XLVII.

Fuit item lex, cum Augustus omnia teneret, lata, ne senator libertinam uxorem ducere posset. Ab initio libertinis, non modo cum senatoribus connubia non erant, sed ne cum ingenuis quidem etiam de plebe. Nam apud Liuium lib. XXIX. legimus, ex S. C. legem latam,

ut Feceniæ Hiſpalæ libertinæ, quod ab ea detecta Bachanalia eſſent, nubere ingenuo liceret, ne'ue ei, qui eã duxiſſet, ob id fraudi ignominiæ'ue eſſet. Inde Cicero obiecit ut probrum, in Philippicis Antonio, & in Sextii cauſſa Gellio, quod libertinas in matrimonio haberent. Quo fit, ut non tam nouam legem Octauiani ætate latam, quam uetuſtiſſimæ illi derogatum exiſtimem. Nec idem traditur ab omnibus de latore. Celſus legem hanc Papiam uocat, Paullus Iuliam, Dio aſſentitur in parte Paullo. Quia id narrat ad augendam prole urbem, in paucitate ſumma ingenuarum fœminarum, ab Auguſto decretum P. & Cn. Lentulis conſulibus, annis circiter xxx. ante Papium & Poppœum ex K. Iul. cos. decretum tamen non latum. Quæ me uarietas priſcorum ſcriptorum nihil omnino mouet. Namq; fieri poteſt, ut hoc, quod principis indulgentia ante conceſſum fuerat, conſul ille multo poſt in rogationem ſuam tranſtulerit.

Cum lege de matrimonio libertinarum, coniungit Paullus & aliam, ne ius connubii eſſet ſenatori, uel eius liberis, ad eum uſque, qui ex pronepotis filio eſt natus, cum illa, quæ ipſa, cuius'ue parentes ludicram artem fecerint.

Nec omittendum fortaſſe eſt Auguſti edictum, ne quis ſenator, uel ſenatoris filius gladiatorio munere depugnaret. Deuicto enim Pompeio, ſenatores ad gladiatorias operas, quæ ſemper habitæ ſunt turpiſſimæ, & inhoneſtiſſimæ, faciles ſe præbere cœperant, quemadmodum Suetonius, & Dio, locupletiſſimi illorum temporum teſtes, hiſtoriarum monumentis prodiderunt. Retinendæ igitur priſcæ conſuetudinis cauſſa, Claudio & Norbano cos. Auguſtus ita edixit. Tandem etiam cauit, Marcello & Aruntio cos. ne & illi, qui nepotes ſenatorum,

rum, aut equites essent, scœnicum, gladiatoriumq; artificium attingere auderent. Atque hæc fere sunt, quæ aliquo uestigio odorari potuerimus, tum quod uiderentur pertinere ad tuendam dignitatem ordinis amplissimi, tum libidine quoq; magistratuum aduersus senatores, ab initio urbis ad Tiberium Cæsarem, constituta.

Iam ergo quod doctrinæ ordo, quem proposuimus, postulat a nobis, ad tantorum onerum, tantorumq; laborum fructus animum, & cogitationem transferamus. Cuius loci partes erunt duæ: Quoniam enim non omnes eodem iure, eademq; conditione erant, primum de honoribus, & præmiis, quæ senatorio ordini uniuerso; deinde uero de ornamentis, & commodis, quæ senatoribus quidē, sed non omnibus proposita erant, agemus.

Senatorii ordinis utilitates non tam in potestate nocēdi aliis, & peccandi licentia, quam in honoris & amplitudinis fructu positæ erant. Namq; omnibus in rebus si non deteriore, at certe eodem iure cum reliquis ciuibus utebantur. Excipio ius aduersus conuiciatores; de quo nullum omnino uerbum feciſſem, nisi me grauissima Arnobii, hominis eruditissimi, auctoritas commouisset. Eius uerba hæc sunt: Maiestatis sunt apud uos rei, qui de uestris secus obmurmurauerint aliquid legibus, magistratum in ordinem redigere, senatorem autem conuicio prosequi, suis esse decrestis periculosissimum pœnis, carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur & uita, decemuiralibus scitis euadere noluistis impune. Præterea secerno, & illud institutum, ut qui in prouincia senatori litem inferret, is Romam reiici, Ciceronе ad Sulpicium teste, posset. Item Corneliæ legis beneficium: Sylla enim, quod est in oratione de signis, plebeis, & equitibus iudicum non amplius quam triū, senatoribus uero etiam plurium reiiciendorum potesta-

tem dedit. Nam illud, ne quis senator in ius de latrocinio uocaretur, sero, & in illo misero Reip. statu paullo ante Actiacam Octauiani uictoriam, decretum Dio lib. XLIX. aperte narrat.

Ornamenta uero, & commoda amplitudinis, hæc monumentis, & litteris potissimum celebrantur. In urbe, locus ludis honestissimus, epulandi publice ius, & lati claui, calceorumq; insigne. In prouinciis autem præter hæc insignia, lictorum quoque & apparitorum põpa.

Ac quod attinet ad senatorium in consessu theatrali locum, ex Plutarcho suspicor in uita Flaminini: Romæ, inquit, ludis cum senatus, ut erat moris, honestissimo loco consedisset. Nec aliud intelligit Cicero in oratione pro Cluentio, cum ait: Lentulus Popillium, quod erat libertini filius, in senatum non legit, locum quidem senatorium ludis, & cetera ornamenta reliquit. Spectabant autem senatores in cauea, qui locus scœnæ proximus, & idcirco commodissimus erat. Atque hæc quidem caussa fecit, ut Iuuenalis caneret;

Æequales illic habitus, similesq; uidebis
Orchestram, & populum . . . . . .

Secreta uero sunt in theatro senatorũ loca an. DLIX. P. Africano II. & Ti. Longo cos. sic enim Cicero in caussa Cornelii: P. Africanus cum consul esset, passus est tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari. Factum id esse Antias, apud Pedianum, tradidit, ludis Romanis, quos fecerunt Aediles curules Attilius Serranus, T. Scribonius Libo. idq; eos feciſſe iussu censorum, Sex. Aelii Pæti, C. Cornelii Cethegi. In circo autẽ iam inde a Tarquinio Prisco rege, loca diuisa sunt patribus, equitibusq; ut Liuius narrat, uel, ut Dionysius, curiis, ubi spectacula sibi quisque facerent, quos foros appellarunt. Vnde Varro libro IV. de Lingua Latina.

tina. Circus maximus dictus, quasi circum spectaculis ædificatus.

Solos senatores iniisse epulas conuiuiorum publicorum, concedet non inuitus ille, qui ea, quæ Dio, & Suetonius historici scribunt, diligenter attendet. Suetonius quidem in Augusto: Quosdam ad excusandi uerecundiam compulit, seruauitq; etiam excusantibus insigne uestis, & spectandi in orchestra, epulandiq; publice ius: Dio uero lib. LV. Sacerdotium deinde Caio dedit, utq; illi in senatum uenire, & ludos inter senatores spectare, publicasq; inire epulas liceret, decreuit.

Vestitu senatores a plebe, & equitibus fuisse distinctos, documento est illud, quod Dio Ciceronem, cum de eius exilio legem ferret Clodius, senatoria ueste abiecta, equitis habitum assumpsisse scribit. Hoc autem insigne erat tunica lati claui. Cuius rei testem habeo Suetonium, antiquorum institutorum auctorem ualde idoneum. Hic enim de Gallis in senatum a Cæsare lectis ait illa uulgo decantata; Galli in curia bracchas deposuerunt, Latum clauum sumpserũt. Et alio loco narrat, cum Augusto, sumenti uirilẽ togã, tunica lati claui resuta ex utraq; parte ad pedes decidisset, fuisse qui interpretarentur, non aliud significare, quam quod is ordo, cuius insigne id esset, aliquando ei subiiceretur. nempe ordo senatorius. Postremis uero temporibus Augustus intulit, ut senatorum quoque filii hanc tunicam protinus induerent. Quæro tamen a Suetonio, qui id prodidit litteris, quomodo ipsi Augusto sumenti uirilem togam, cum ad huc in senatum lectus non esset, ad pedes deciderit. An quod ea pueri, ut & prætexta ornarentur? Falsa autem opinio illorum mentes occupauit, qui genus hoc tunicæ nomen inuenisse credunt, uel a retinaculis, ut ita dicam, quibus pars uestis alteri coniuncta retinetur; uel quod

quod hæc tunicæ forma latior ceteris esset. Clauata enī uestimenta uocabantur, auctore Festo, clauis, & tanquā floribus intertexta & distincta. Hoc modo & sacerdotū uestes, & mappas uariari solitas, ex Martiale, Silioq; Poetis intelligitur. Hi autem claui in tunicis senatorum purpurei erant. Plinius lib. XXXIII: Anuli distinxere alterum ordinem a plebe, ut semel cœperunt esse celebres: sicut tunica ab anulis senatum tantum, quanquam & hoc sero, uulgoq; purpura latiore tunicæ, usos inueni mus etiam præcones, sicut patrem L. Aelii Stilonis. Vnde etiam, si quis quærat, quando hoc inductum sit in stitutum, haud difficile erit respondere. Lati claui autē angustis opponuntur. Varro lib. IIX. de lingua Latina. Si quis tunicam ita consuit, ut altera plagula sit angustis clauis, altera latis, utraq; pars in suo genere caret analogia. Sed ne cui mirum uideatur Propertium, elegiarum scriptorem eruditissimum, senatum appellare prætextatum. magna enim supremi consilii pars magistratibus constabat. Eodem modo, cū, ut mea fert opinio, statuæ fere iis senatoribus, qui magistratus habuerunt ponerentur; uel etiam cum ipsi se uestitu cultuq; pingi uel lent lautissimo, in Nerua refert Dio, senatores in tunica, & prætexta purpurea, cum corona aurea pingi solitos.

Calceos senatores habuisse diuersos, a reliquorum ciuium calceis, non est quod dubitetur, cum habeamus Ciceronis testimonium. Testatur autem id XIII. Philippica: Est etiam Asinius quidam senator uoluntarius lectus ipse a se, apertam curiam uidit post Cæsaris mortem: mutauit calceos, pater conscriptus repente est factus. Quales autem senatorum fuerint calcei, ingenue me nescire fateor. Neque ut sciam ualde laboro. Omnes aiunt hos fuisse lunatos. Id secus est si Zonaram historicum audias: Plebei, inquit, cum olim pluribus re-

bu

bus deteriore conditione essent quam patricii, proceden te tempore, interregno, & sacerdotiis quibusdam exce ptis, par cum illis ius obtinuerunt, neque præter calceos, quidquam diuersum ab illis habuerunt. Nam patricii in urbe gestabant calceos adornatos corrigiarum inflexione, & forma litteræ C, ut a centum Romuli sena toribus originem trahere uiderentur. Et Isidorus auctor non contemnēdus, calceos lunatos, patricios nominat. Sex. autem Pompeius ita scribit: Mulleos genus calceo rum aiunt esse, quibus reges Albanorum primi, deinde patricii usi sunt. M. Cato originum lib. VII. Qui ma gistratum curulem cœpisset, calceos mulleos alutatos, ceteri perones. Legendæ sunt eadem de re Quæstiones Plutarchi, & Satyra VII. Iuuenalis, itemq; VI. Horatii, libri primi, sermo. Seruius Honoratus nugatur de calcea mentis Tuscis, hoc est, crepidis nescio quid, quibus ait usos primum senatores, post equites Rom. & demū illa ætate, qua uixit, milites.

Ceterum lictores (id enim postremum erat) senatoribus, & si non lege, ueteri tamen consuetudine, & instituto maiorum in prouincia datos, colligo ex ea Ciceronis epistola, qua Anicium, legatum in Africam legatione libera, Q. Cornificio commendat.

Superest ut præmia, & ornamenta illa referamus, quæ senatorum quidem, sed non omnium erant. Senatores in honoribus petendis uersatos esse, supra ostendimus. Nunc uero quanta ex gradibus magistratuum extiterit inter eos dissimilitudo, considerare oportet. A magistratibus, quos ultimo loco gessissent, qui ex supremo ordine erant, alii quæstorii, quidam tribunicii, multi ædilicii, nonnulli prætorii, consulares, & censorii nominabantur; ac ut quisque maximo perfunctus erat magistratu, ita dignitate supremus habebatur. Seruauit

eos

eos gradus Cicero in recenſendis illis, qui a Pompeii partibus ſteterant XIII. in Antonium Philippica: Hoc igitur fretus ſenatu, Pompeianum ſenatum deſpicit, in quo decem fuimus conſulares. Quos ubi enumerauit, ſubiungit hæc deinceps: Qui uero prætorii? Et paullo poſt; Qui ædilicii? qui tribunicii? qui quæſtorii? Notat item hoc diſcrimen Mœcenas, cuius oratio expoſita eſt in Dionis annalibus, in qua cum alia multa, tum ut ſenatui cognitionem de ſenatorum criminibus permitteret ſuadens Auguſto, addit non eſſe ferendum, ut ſententiam dicant inferiores dignitate, de iis, qui maiore perfuncti eſſent magiſtratu, uerbi gratia de ædiliciis quæſtorii, aut de prætoriis ædilicii. Ac cenſorius quidem gradus hoc iuris antiquitus habuit, quod ex eo tantum princeps ſenatus legebatur. Conſulares uero ſoli in luctu ciuitatis togis induebantur. Cicero II X. Philippica: Equid em P.C. quanquam hoc honore uſi togati ſolent eſſe, cum eſt in ſagis ciuitas: ſtatui tamen a uobis, ceterisq; ciuibus in tanta atrocitate temporis, tantaq; perturbatione populi R. non diferre ueſtitu. Non.n. ita gerimus nos hoc bello conſulares, ut æquo animo populus R. uiſurus ſit noſtri honoris inſignia. Et quanquã poſt conſulatum cenſura gerebatur, principes tamen ſententiarum conſulares Liuius uocat. Credo quod cenſorii raro uenirent in ſenatum, cum ætatis fere omnes haberent uacationem. Prætoriis autem licebat uti prætexta toga feſtis diebus. quod patet ex hoc loco Senecæ lib. I. Declamationum: Prætorio uti licet prætexta toga, feſtis, & ſolemnibus diebus, nunquid neceſſe eſt? Et ex hoc Plutarchi in Catone minore: Senatus frequens, præter alios honores, Catoni præturam extraordinariam decreuit, utq; ludos toga purpura prætexta ſpectaret. Ceterum quod ad ædilicios pertinere uidetur, Gellius refert

fert C. Bassum in commentariis suis scripsisse, senatores ueterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam uehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent: quæ, ob eam causam, curulis appellaretur. Sed eos, qui magistratum curulem nondum ceperant, pedibus itauisse in curiam, propterea q; pedarios nominatos. Quo loco mihi non satisfacit Bassus. Nam primum ostendimus, non ob eam causam pedarios senatores dictos. Deinde uidetur Bassus fuisse consuetudinis senatoriæ, morumq; ueterum oblitus. An enim credemus Q. Metellum id, inter cetera summa, cum patrem suum in funere laudaret, relaturum fuisse, quod mediocres homines, mediocribus honoribus usi, omnes sunt consecuti? uulgatumq; ac tritum hoc fuisse, quod admiratione populi R. perspicua declaratum, & in lapidem ad posteritatis memoriam senatus decreto, populiq; iussu incisum uidemus. Nam hæc uerba traduntur inscripta in monumento quodam, quod se uidisse in Capitolio, Dionysius testatur.

S. P. Q. R.

L. METELLVS. PONT. II. COS. DICT. MAG. EQ. XVVIR. AG. DAND. QVI PRIMVS ELEPHANTOS PRIMO PVNICO BELLO DVXIT IN TRIVMPHO. PRIMARIVS BELLATOR. OPTVMVS ORATOR. FORTISSIMVS IMP. AVSPICIO SVO MAXIMAS RES G. MAXIMO VSVS HONORE. SVMMA SAPIENTIA. MAX. SEN. PARTAM EX AEQVO PECVNIAM MAG. SING. L. RELIQVIT. CLARISSIMVS IN CIVITATE FVIT. TRIBVIT EI P.R.VT QVOTIES IN SENATVM IRET. CVRRV VEHERETVR AD CVRIAM. QVOD A CONDITO AEVO NVLLI ALII CONTIGIT.

Et tanto magis credemus hoc soli tributum Metello, si causſam, cur hoc magnifico munere affectus sit, cognoscerimus. Eam reddit Plinius cap. III. lib. VII. his uerbis: Magnum hoc & sublime, sed pro oculis datum, quos amisit incendio, cum Palladium ex æde Vestæ raperet. Senatorios uero tribunicii gradus honores, præter antiquiorem, quam esset quæstorius, sententiæ dicendæ locum, nullos reperio. Intelligendum est autem, quæ tribuimus ornamẽta inferioribus senatoribus magistratuum gestorum amplitudine, ea omnia obtinuisse illos, qui maiorem habuissent magistratum. Hæc res, & si non ita est obscura, cum constet neminem, nisi per minores magistratus, ad maiores potuisse peruenire, tamen exemplo uno proposito declaranda uidetur. Demonstrauimus prætorios prætexta diebus festis usos. quo honore carebant tribunicii, & quæstorii. Consularis tamen eius erant participes, ut in II. Antoniana licet anima duertere. Nescis, ait, heri in circo quartum diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populũ tulisse, ut quinctus præterea dies Cæsari tribueretur? cur non sumus prætextati? Præterea inuenio rationem quandam, etiam non capto magistratu maiore, consequendorum alicuius honestioris gradus ornamentorum, si quis senatorem, qui non esset designatus, & alium magistratum ante cepisset, de ambitu damnasset. Quod Cicero pro Balbo hoc modo dixit: Obiectum est etiam, quod in tribum Crustuminam peruenerit: quod hic assecutus est legis de ambitu præmio, minus inuidioso, quam qui legum præmiis prætoriam sententiam, & prætextam togam consequuntur. Potuit item superior gradus S. C. extra ordinem dari.

Illis uero solis (si ne hoc quidem silentio prætereundum est) qui in legationibus operam suam Reip. nauabant

bant antiquis temporibus dabantur anuli aurei. Admonuit me huius rei Plinius lib. XXXIX. Longo, inquit, tempore ne senatum quidem Romanum habuisse anulos aureos, manifestum est. Si quidem his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, anuli publice dabantur, credo, quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur. Sed hi post, equites a plebe distinguere cœperunt. Illa quoque ætate quosdam legatos, qui Athenas propter leges ierant, Xuiros creatos, a Liuio didicimus, ut pro legatione tam longinqua, præmio esset honos. Qui autem ferro in legatione esset interfectus, mors eius, statua ex S.C. posita, honorabatur. Ius uero istud tractatur a Cicerone integra IX. in Antoniũ Philippica.

Et quoniam hunc sermonem semel sum ingressus, uno uerbo dico, iudices suppellectili, rebusq; necessariis quibusdam instrui publice solitos. Neque aliud quidquam ex monumentis annalium de præmiis eorum, qui iudiciis operam darent, suspicari potui. Et hoc ipsum uetustas, ut alia fortasse non pauca, obliuione obruisset, nisi unius Lampridii testimonio cognitum esset. Historicus autem hic ita narrat in uita Seueri: Iudices cum promoueret exemplo ueterum, ut & Cicero docet, & argento, & necessariis instruebat.

His igitur ex rebus breuiter a nobis disputatis, quale fuerit ius supremi ordinis, facile, meo quidẽ iudicio, quilibet coniectura assequi poterit. Quibus si ea adiecero, quæ de numero, senatorum, obseruaui, & quomodo senatorius ordo amitteretur exposuero, huic parti primæ muneris, in qua mihi de senatoribus dicendum proposui, abunde me satisfeciisse arbitrabor.

Ad numerum senatorum cognoscendum temporum ratio, & discrimen permagni momenti est. Itaque ordiamur a primo urbis ortu, unde, tanquam per gradus,

ad ultimum libertatis tempus, & unius Augusti imperium descendemus. Romulus ex Albanis, qui cum eo urbem condiderant, centum creauit senatores, deinde, ut quidam tradunt, centum, uel, ut alii, quinquaginta ex Sabinis. Hæc fere Dionysius. Plutarchus autem in Romulo refert post Sabinum fœdus, regem utrumq; cum centum suis senatoribus, primum seorsum, postea uno eodemq; in loco consultasse. Verum Liuius longe secus hac de re sensisse uidetur. Etenim regnante Tarquinio Prisco, ducentos tantum fuisse innuit; centum ab illo lectos, & priores Romuli centũ. Liberata certe Rep. trecentos lectos inter omnes conuenit. Liuius quidem testatur cum crudelitate & scelere Superbi, senatus esset diminutus, Brutum ex equestri gradu patrum numerũ ad trecentorum summam expleuisse. Atque etiam Sex. Pompeius, & Plutarchus adlectorum numerum adnotarunt; neque tamen huius facti auctorem Brutum, sed collegam eius Valerium laudant. In Festi libro ita est: Quo tempore, regibus urbe pulsis, P. Valerius consul, propter inopiam patriciorum, ex plebe adlegit in numerum senatorum, centum sexaginta & quatuor, ut expleret numerum senatorum trecentorum. In Plutarchi autem Romulo in hanc sententiam: Cæso Bruto, Valerius patrum numerum expleuit. Multi enim a Tarquinio rege trucidati erant, multi nuper in pugna aduersus Veientes, & Tarquinienses ceciderant. qui uero adscripti ab ipso sunt, CLXIV. fuisse traduntur. Dionysius uero lib. v. laudem hanc utriq; communicat: & eandem summam senatorum, quod caput est huius loci disputationis, & orationis meæ, prodit. Ac tum duo genera senatorum extiterunt, auctore Festo, ueteres illi patres, noui uero conscripti. Id Liuio quoque probatur. Traditumq;, ait, inde fertur, ut in senatum uocarentur, qui patres, quiq;e

quiąue conſcripti eſſent: cõſcriptos uidelicet in nouum ſenatum, appellabant lectos. Sed poſtea uniuerſos hiſce duobus nominibus ſolitos uocari, Plutarchus aperte docet his pene uerbis: Hoc noſtro ſæculo ſenatores a Romanis patresconſcripti, ab exteris principes uocantur. Adhæc uidemus, in omnibus orationibus in ſenatu habitis, coniunctim patresconſcriptos compellari. Porro eundem numerum ſenatorum edit, poſt Aſiam Eumeni attributam, Iudæus ille ſcriptor, qui res Machabæorum geſtas litterarum monumentis mandauit, dicitq; trecentos uiros de Rep. illis temporibus Romæ conſultaſſe. Neque lego de immutando hoc numero actum ad C. Gracchum uſque tribunum plebis. Hic enim, ut reperio in epitoma Liuii lib. LX. legem tulit, qua equeſtrem ordinem, tum cum ſenatu conſentientem, corrumperet, ut, ſexcenti equites trecentis ſenatoribus admiſcerentur. Verum locus ille mendoſus eſt. Et ex iiſdem epitomis conſtat Gracchum legem tuliſſe de iudiciis a ſenatu amouendis, non autem de equitibus in ſupremum ordinem adlegendis. Itaque nunquam adductus ſum ut crederem Sempronia lege ſenatum auctũ. Multo uero minus aſſentior iis, qui lege Liuia ad trecentos ſenatores ueteres, totidem numero nouos ex equitibus adſcriptos aiunt. Et ſi enim rogauit eius rei neſcio quid Druſus, hiſtoria Græca Appiani teſte, tamen nemo, qui Ciceronis libros, uel extremis digitis attigerit, ignorat, referente Philippo conſule, eodem anno, uno uerſiculo ſenatus, omnes Liuias leges ſublatas. Carolus Sigonius concludit argumentis haud leuiſſimis, & infirmiſſimis, ſenatus numerum a Sylla fuiſſe amplificatum. Quod uidelicet & conſul, & dictator trecentos ex equitibus legerit. Cum eo igitur non contendo, ſed dico paullo poſt immutatum etiam eſſe ſenatorum numerum

merum a censoribus lustri LXVII. Pisone, & Messala cos. Hoc autem, cum apud Dionem legerim, non diuinans affirmo: Iisdem, inquit, consulibus omnes eos, qui magistratus gesserant, censores supra legitimum numerum in senatum legerunt. Numeri autem huius notaui apud Ciceronem, & Appianum uestigia quædã. Cicero enim in Epistola ad Atticum, hoc ipso anno data, sic scribit: Homines ad XV. Curioni nullum S.C. facienti assenserunt, facile ex altera parte CD. affuerũt. Et in senatu, postquã ab exilio reuersus est, dixit: Quo quidem die cum CDX. senatores essetis. Appianus uero lib. II. cum retulisset Curio, ecquid censerent ne patres, & Cæsarem, & Pompeium imperium deponere, XXII. in alia omnia; trecentos autem & septuaginta in Curionis sententiam pedibus iuisse narrat. Paucos post annos Cæsar Dictator IV. quemadmodum Dio lib. XLIII. refert, DCCCC. legit; & post mortem Cæsaris Antonius & III uiri mille, auctore Suetonio. Quem numerum senatorum affluentem incondita turba, diminuit Augustus, & ad DC. tantum redegit. Expedita mihi erunt omnia si testem protulero. Dio lib. LV. Statuerat quidem exemplo, institutoq; maiorum, CCC. tantum senatores legere, & præclare agi cum ciuitate existimabat, si tot in ea dignos ordine amplissimo reperiret. DC. tamen recitauit, quod inuidiam, & offensionem timeret, si plures quam legisset, senatu moueret. Satis de numero.

Amittebatur autẽ ordinis amplissimi dignitas ab illis, quos aut senatus remouẽdos censuisset, aut qui turpi de crimine aliquo, aut de ambitu cõuicti, aut a populo dãnati, aut cẽsoria animaduersione notati essent. A senatu quidem L. Sulpicium consulari familia summoq; ingenio uirum, ob libidinosæ suspicionis notam, loco motum, L. Porcius Latro litteris tradidit. De turpi uero iudicio

dicio colligo ex oratione pro Flacco, cum ait: Lysanias adeptus est ordinem senatorium; sed cum Remp. nimium complecteretur, peculatus damnatus, & bona, & nomen senatorium amisit. At de Tennienſi ſenatore, nõ de Romano loquitur? Certe. Nõ tamen est cur ualde hoc incommodum pertimeſcam. Etenim patet iam, ut opinor, ex iis, quæ de lectione diximus, Romæ idem cautum fuisse. Qua de re & Zonaras: Post constitutum est, ut qui semel in senatum lectus esset, per omnem ætatem in eo ordine permaneret, nisi aut turpi iudicio damnaretur, aut ob uitæ dedecora pelleretur. Ceterum C. Piso cum M'. Glabrione consul tulit, ut qui ambitione magistratum a populo cõtendissent, omni honorum petitione, & senatorio gradu prohiberentur, & insuper certa pecunia multarentur. Hæc Dio lib. XXXVI. Antiquior hac consulari Calpurnia, Cassia tribunicia fuit. Nam eius annum ponit Asconius, interpres Ciceronis optimus, & in demõstranda antiquitate accuratissimus, C. Mario C. Flauio cos. Tulit autem Cassius Longinus his consulibus, ut quem populus damnasset, cui'ue imperium abrogasset, in senatu ne esset. Transibo deinceps, ut institui, ad iudicia, & notiones censorum, si prius admonuero illud, ut de ui priuata conuicti, neque senatores essent, neque ullum honorem caperent, non in lege Iulia scriptum, quod fortasse uideri possit, Martianum iurisperitum significare, sed ex S. C. (Volusiano credo, cuius in Pandectis eodem loco fit mentio) additum. Perdebant demum senatorium ordinem illi, quorum nomen in recitando senatu censores præteriissent. Namq; ut censores ius legendi in senatum, ita etiã mouendi, quos uellent, habebant. Sub ditione enim eius magistratus, ut Liuii uerbis utar, senatus, equitum centuriæ, decoris dedecorisq; discrimen erat. Itidem

Plutarchus

Plutarchus in Paullo tradit: Habent censores potestatem mouendi senatu, qui impure ac flagitiose uiuunt, senatus principem legendi, iuuenes immoderatos, & intemperantes, adēpto equo, notandi. Explicandum hoc loco est, quæ notæ censoriæ dicerentur. Patrum memoria, teste Liuio lib. XXXIX. institutum erat, ut censores motis e senatu adscriberent notas. Vnde Catonis, & aliorum orationes feruntur editæ, in eos, quos aut senatorio loco mouerant, aut quibus equos ademerant. Itaque notam adscribere, nihil aliud fuit, quam caussam infamem & ignominiosam, in præteritum aliquem edere. Hanc uero in Appii & Pisonis censura, editam in senatu obseruo, apud Dionem lib. XL. Iam ergo perspicuum est, notare, & ordine mouere, quantum inter se distent. ob leuiores siquidem caussas mouebant tantum censores; grauioribus autem pollutos sceleribus, notabant. Verbi gratia Lentulus, ut est in Cluentiana, Popillium quod erat libertini filius, in senatum non legit, & eum ignominia omni liberauit. Notatos autem quosdam, tribu etiam motos, & ærarios factos, Liuius lib. XLII. memorat. Festus significat hoc institutum notarum adscribendum inductum postquā censores creari cœpti sunt. Et si uero, ut idem scribit, turpe ducebatur eiici senatu, & loco moti ignominiosi habebantur, non ita tamen, ut iis a ciuibus incorruptæ famæ conuictus interdiceretur. Et quod Iurisconsulti capite de iudiciis tradunt, lege impediri ne iudex sit, qui senatu motus est, id Reip. temporibus nō seruatum, satis aperte Ciceronis hæc uerba pro Cluentio demonstrant: Prætores urb. qui iurati debent optimum quenque in selectos iudices referre, nunquam sibi ad eam rem censoriam ignominiam impedimento esse duxerunt. Comperi autem aduersus censoris uim eos, qui pellerentur, sæpe auxilio usos eollegæ.

Cicero

Cicero in eadem oratione: Atque etiam ipsi inter se censores iudicia tanti esse arbitrantur, ut alter alterius iudicium, non modo reprehendat, sed etiam rescindat, ut alter de senatu moueri uelit, alter retineat, & ordine amplissimo dignum existimet. Exemplum ex antiquitate uis ut proferam? Haud magni negotii est id inuenire. Liuius lib. XL. Tres electi de senatu, retinuit quosdam Lepidus a collega præteritos. Ceterum Curionem tribunum pl. cum moueretur senatu ab Ap. Claudio censore, sententiis patrum eam labem repulisse Dio auctor est. Cõmemorat uero Pedianus legem a Clodio tribuno pl. latam, Gabinio & Pisone cos. ne quem censores in senatu legendo præterirent, neue qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, & utriusque censoris sententia damnatus esset. Itaque cum uix accusatores reperirentur, neque censoris conscientia, ad animaduersionem in homines indignos sufficeret, clamat ille noster ubique censoriam notationem, grauissimum iudicium sanctissimi magistratus, omnem denique uirtutis disciplinam de ciuitate sublatam. Hoc tamen plebiscitum, non multo post, Q. Scipio consul, Cn. Pompei collega, abrogauit. Non fuisse autem ita firma, & fixa censorum iudicia, ut ab aliis censoribus conuelli non possent, facile est ueterum testimoniis conuincere. Pedianus in Diuinationem in Nigrum: Eorum, inquit, notam successores plerunque soluebant. Recuperandi ergo ordinis caussa loco moti, petebant denuo magistratus. Sic in illa asperrima, & acerbissima declamatione Sallustius dicitur in senatum post quæsturam reductus. Dio uero lib. XXXIIX. hoc modo scribit: Catilina negotium agebat, per administros consulẽ inprimis C. Antonium, & P. Lentulum, qui post consulatum senatu electus erat, atque iterum præturam ceperat, ut ius ordinis

dinis recuperaret. Quantum igitur coniectura auguror, recipi in senatum, notati post quæsturam poterant. Verum & maiores magistratus gerebant, propter ornamenta ea, quæ diximus, & quod non prius se deleturos hanc infamiam putarent, quam ad illud dignitatis fastigium, de quo deiecti erant, reueniissent. Excipio infami iudicio, & de ambitu damnatos, quibus neque ad honores, neque in curiam reditus dabatur. Quorum illud Cic. pro Cluētio; hoc uero lib. XXXVI. & XXXVII. Dio testatur. De his, qui lege Cassia ordinem amiserunt, certum nescio, nec libenter progredior longius, quam mihi annalium monumenta concedunt.

Quoniam autem hæc scribimus, ut inde uitæ documenta sumi possint, breuiter ob quas causas, qui loco moti aliquando fuerint, exponamus. Primum lustro ordine XII. anno octauo postquam hic magistratus creari cœptus est, Mamercum, quam primum deposuit dictaturam, quo in magistratu legem pertulerat, ne plus quam annua ac semestris censura esset, quæ antea quinquennalis erat, C. Furius Pacilus, & M. Geganius Macerinus tribu mouerunt, & octuplicato censu ærarium fecerunt, caussam hanc ignominiæ, ut ait Liuius lib. IV. adscripserunt, quod magistratum populi R. minuissent. Nec ullam deinceps caussam edunt annales ignominiæ senatoriæ ad M. Valerium Maximum, & C. Iunium Bubulcum Brutum, qui Antonium senatu mouerūt, quē admodum Valerius lib. II. refert, quod, quam uirginem in matrimonium duxerat, repudiasset; nullo amicorum in consilium adhibito. Hos autem censores comparant lapides Capitolini, & lustrum condidisse testantur XXVII. in Claudii Cæci & Volumnii Flammæ consulatu. Sequenti lustro Fabius Rullianus libertinos eiecit. Testis est Plutarchus in Pompeio. Trigesimo uero

tertio

tertio Fabricius censor P. Rufinum consularem senatu mouit, quod decem pondo argenti facti haberet. Ita scribit Liuius lib. XIV. meminit item lib. XVI. epistolarum Seneca, & Plinius XXXIII. naturalis historiæ. Anno DXLIV. Fabio V. Fuluio IV. cos. a Cornelio Cethego, & Sempronio Tuditano censoribus, qui XLIV. lustrum condiderunt, octo sunt præteriti, auctore Liuio lib. XXXVII. senatores, inter quos L. Cæcilius Metellus erat, infamis deserendæ Italiæ post Cannensem cladem auctor; aliis quæ notæ fuerint adscriptæ, neque a Liuio, nec ab alio quoquam, est proditum. Anno deinde DLXIX. P. Claudio Pulchro & L. Porcio Licino cos. M. Cato cum L. Flacco XLIX. lustri censor L. Quinctium Flamininum, & Manilium inter alios notauit. Flamininum, quod, cum consul præesset Galliæ prouinciæ, transfugam Boium, fidem populi R. implorantem, manu sua transfodisset, oblectandi gratia chari scorti Philippi Pœni. Caussam hanc prodiderat ipsemet Cato, teste Liuio, in ea, quam composuit in L. Quinctium oratione. Ita etiam Cicero in lib. de Senectute, & Plutarchus in uita Catonis. Valerius Antias fabulose scripserat, non transfugam, sed damnatū, securi percussum, tempus tantum spectaculi ad arbitrium & spectaculum mulierculæ delectum. Quem secutus est ille noster, qui dicta, & facta quædam memorabilia collegit. Manilium uero propterea mouit, quod is interdiu, præsente filia, uxorem esset osculatus, nunquam mulierem in suum amplexum ueniisse addens, nisi cum uehemens tonitru extitisset, seque ioco solitum dicere, Ioue tonante, se felicem esse. Plutarchus in Præceptis connubialibus, & in uita Catonis. Violentissimum item par censorum fuit, Q. Fuluius Flaccus, & A. Postumius Albinus, lustro LI. Sp. Postumio, & Q. Mucio cos. Aspe-

rior tamen Flaccus. Nam L. Fuluium fratrem germanum, & etiam consortem, ausum iniussu consulis, ut tradit Valerius de disciplina militari, domum dimittere cohortem, in qua tribunus mil. erat, senatu mouit. Persequamur notam seueritatem Cassii Longini, & Cæpionis, qui Aemilium Lepidum Augurem ob sumptum habitationis, adesse iusserunt, quod sex millibus habita ret. Sic Velleius Paterculus libro priore. Fuerunt autem hi censores Plautio & Fuluio cos. LX. lustro. Plutarchus scribit Cassii Sabaconis, qui Marium præ ceteris in præturæ petitione iuuit, seruum comitiis intra septa conspectum, cumq; Marius de ambitu causam diceret, Cassium, a iudicibus interrogatum, respondisse se, contracta ob æstum siti, frigidam popoſciſſe, seruumq; cum poculo septa intrasse, & aqua allata, e uestigio abiisse. Et quanquam Marius absolutus sit, Cassium tamen a censoribus notatum refert, siue quod falsum testimonium dixisset; siue quod in publico bibere, aut aliquantisper sitim pati nõ posse, intemperantis hominis esse uideretur. Notatus hic proculdubio est a Scauro & Druso censoribus, uel a Fabio & Geta. Hæc uero me in eam sententiam ratio potissimũ ducit, quod me Cicero III. de officiis docuerit C. Marium, cum a spe consulatus abesset, septimum annum post præturam iacuisse. Itaque, annorum coniectura utens, Marium prætorem fuisse Balbo & Catone cos. reor. Post hos uero consules tertio anno Scaurus & Drusus censores fuerunt, &, cum Drusus in magistratu mortuus esset, Fabius Allobrogicus & Licinius Geta, in eorum locum, in sequenti anno creati, lustrum LXIII. condiderunt, ut demonstratum est a doctissimo uiro, qui fastos Capitolinos tẽporum iniuria fractos, & mutilos, aliquot ante annos consolidauit, & perfecit. M. autem Antonius & L. Flac

cus

cus censores lustro XLV. Duronium senatu mouerunt, quia legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latam tribunus pl. abrogauerat. Eam rem iisdem uerbis commemorat Valerius de censoria nota. Lustro etiam sequenti Lentulus & Gellius diligẽtem, & seueram censuram gesserũt, quatuor & sexaginta senatu motis. Causæ non extant præter has, apud Pedianum, in Antonium, quod socios diripuerit, iudicium recusarit, propter æris alieni magnitudinem prædia manciparit, bonaq; sua in potestate non haberet. Et illas, quas Cicero commemorat in Cluentiana, in M. Aquillium & T. Guttam, de captis ob rem iudicandam pecuniis, & in alios quosdam, de furto, & in L. Popillium, quod erat libertini filius. Appius autem Claudius An. DCCIII. Paullo & Marcello cos. cum L. Pisone censor, libertinos eiecit, Dione auctore. Ex his Tullius quidam ab Horatio sermone sexto nominatur. reliquorum memoria abiit. Idem uero censor, ut ex historia Dionis, & ex declamatione, quæ Ciceroni tribuitur, intelligi potest, Sallustium, ob adulteria, perditosq; mores notauit. Et Augustus homo sapientissimus multos, ut exposui, ad uerecundiam excusandi compulit, cum de genere, & uita, ipsorum conscientia se contentum esse dixisset. Plutarchus in Cicerone refert, Lentulum Catilinariæ coniurationis participem, ob effusam intemperantiã, & petulantiam eiectum. De tempore nullum omnino uerbum. neque nobis etiam, hanc rem animo rationeq; lustrantibus, certi quidquam licuit suspicari. Ac de senatoribus quidem hactenus. Quare, cum nouæ quasi disputationis inchoandæ capiendum sit exordium, iam hic primi libri finem faciamus.

IOANNIS

IOANNIS SARII ZAMOSCII

De Senatu Romano

LIBER II.



MAGNA ſuſcepti muneris parte, &, ut ego quidem arbitror, grauiſſima, perfunctus ſum. Sed hæc, in qua antiquum ſenatus habendi morem exquiro, iucundior certe lectori diſputatio futura eſt; & quanquam ex illa fortaſſe ſuperiore homines nō ſtupidi plura, quæ ad Remp. bene adminiſtrā dam ſpectant, præcepta haurire poſſunt, non minus tamen ex hac poſteriore ad eos, qui in libris Latinorum ſcriptorum uerſantur, utilitatis, & fructus perueniet. Quo mihi magis laborandum uideo, ne quid prætermittam, quod ad eam rem demonſtrandam, & illuſtrandam ſpectet. Definitionem quidem ſenatus ab initio propoſui hāc: Senatus fuit ſenatorum, & eorum, qui ius ſententiæ haberent conuentus, coactus ab eo, cuius hoc poteſtati commiſſum erat, ad conſilium capiendum de Rep. more, & inſtituto maiorum. Neque enim conuentus quilibet ſenatorum, ſenatus dicebatur. Vnde Cicero Sulpicio: Atque ipſe antea ſcripſiſſem te fruſtra in ſenatum, ſiue potius in conuentum ſenatorum eſſe uenturum. Item Liuius lib. IV. Conſules, cum per ſenatum intercedentibus tribunis nihil agi poſſet, conſilia principū domi habebant. Et infra libro eodem: Nec tribuni militum nunc in ſenatu, nunc in conſiliis priuatis principū co-

cogendis uiam consilii inueniebant. Dicendum igitur est ex quo genere hominum hic conuentus constaret, quique eius cogendi ius haberent, & qui conuocandi modus fuerit: tum quem numerum consilium istud con ficere deberet, quibus locis, quo tempore iniretur, quæ ratio esset consulendorum patrum, & rogandorum sententias, quæ sententiarum dicendarum forma. Quibus pertractatis, dabimus operam, ut quædam, quæ pertinent ad S. C. exponamus; inde uero ad summi consilii potestatem, & cognitionem, ueniemus.

Numeremus igitur, si placet, eos, quibus in senatum uenire licuit. Primum omnium senatoribus, atque etiam sexagenariis. De senatoribus aliis constat, de sexagenariis dubitare quispiam possit. Testibus igitur hoc conuincendum est. Qui multi sunt quidem, uerum Seneca præ ceteris id apertissime dicit. Nam apud eum ita est lib. 11. Declamationum: Senator post sexagesimum quinctum annum in curiam uenire non cogitur, nec uetatur, quidquid honoris nomine datur in utranque partem licet, alioquin desinit præmium esse, cui necessitas imponitur. Deinde magistratibus omnibus ad quæstorem usque. Plutarchus in Catone minore: Cato quæstor in senatum, quoties haberetur, semper uenit, ueritus ne quid, per gratiam, iis, qui ærario aliquid deberēt, remitteretur, aut ex uectigalibus erogaretur. Quod si iam obtinui, quæstores consilii illius maximi fuisse participes, si id de censoribus, prætoribus, ædilibus, qui maiores erant magistratus, probare deinceps uellem, cui nō inanissimus & non stultissimus noster hic labor fore uideretur. Illud autē Valerius, de institutis antiquis, litteris prodidit, tribunis pl. priscis temporibus curiam ingredi non licuisse, sed eos, ante ualuas positis subsellis, decreta patrum attentissima cura examinasse, ut,

si

si qua ex iis improbassent, rata esse non sinerent. Addit Zonaras, in sua Græca historia, post & in curiam, & ad senatoriam dignitatem admissos esse. Vrbi præfectum sententiæ ius non habuisse Mucius apud Gellium ait, cum ea ætate fieret, quæ nõ esset senatoria. Nobilissimus enim quisque, Strabone auctore, adolescens sub feriarum Latinarum tempus urbi præficiebatur. Principio uero generis ac imperii Romani, non solum senatorem, sed & principem senatus, Romulus urbi præfectum esse uoluit. Præter hos, quos diximus, omnibus, qui honores gesserant, aditus in curiam dabatur. Qua de re nihil necesse est iterum argumentari, cum iam supra demonstrata sit, ubi de magistratibus, qui in senatore legendo spectarentur, disputauimus. Flaminum ius difficilem habuit quæstionem, de eoq; magnis est contentionibus actum, Fabio v. Flacco IV. cos. Consensu famæ, inquit Liuius, elatus ad iustam sui fiduciam C. Flaccus flamen dialis rem intermissam per multos annos, ob indignitatem Flaminum priorum, repetiuit, ut in senatũ introiret. Ingressum eum curiam cum L. Licinius prætor inde eduxisset, tribunos plebis appellauit flamen. Vetustum ius sacerdotii repetebat, datum id cum toga prætexta, & sella curuli C. Flaminio esse. Prætor non exoletis uetustate annalium exemplis stare ius, sed recentissimæ cuiusque cõsuetudinis usu uolebat, nec patrum, nec auorum memoria dialem quenquam id ius usurpasse. Tribuni rem inertia flaminum oblitteratam, ipsis, non sacerdotio damno fuisse, cum æquum censuissent, ne ipso quidem contra tendente prætore, magno assensu patrum plebisq; flaminem in senatum introduxerunt. Verum Pontifices, Augures, & alii quouis sacerdotio publico prædíti ciues, nisi quem habuissent magistratum, aut a censoribus lecti essent, non ueniebant in senatum.

natum. Quod Cicero demonstrat ad Atticum lib. IV. his uerbis: Kal. Oct. habetur senatus frequens. adhibentur omnes pontifices, qui erant senatores. Historia porro de Papirio Prætextato scripta a Catone, in illa inuectiua ad milites contra Galbam, quam Gellius a clade totius orationis, & ceterorum auctoris eiusdem librorum eripuit, satis indicat morem antea senatoribus Romæ fuisse in curiam, cum prætextatis filiis, introeundi, & ob intemperiem matris Papirii, & aliarum mulierum factum esse, ut senatus decerneret, ne ingrederentur in posterum. Annus autem, quo id senatus decreuit, obliuione sepultus, in hominum ignoratione uersatur. Verumtamen sero eum morem solutum ex Polybio possumus coniicere. Nam lib. III. in explicatione rerum bello Hannibalis gestarum, sic aduersus quosdam historicos disputat: Ex altera parte haud credibile est pueros omnes, qui duntaxat duodecimum annum transgressi essent, in senatum a parentibus perductos, & consiliorum omnium non ignaros, nihil unquam cuiquam secretum aperuisse. Cum uero studiose tempus istius S. C. quærerem, incidi in Plinii Iunioris epistolam, in qua refert Romanos adolescentes, quod fortasse Panuinus dicere uoluit, decem peractis stipendiis, ad honores petendos in urbem reuersos, muneris senatorii cognoscendi, & perdiscendi caussa ad fores curiæ stare solitos. Ad extremum Augustus institutum illud priscum reuocauit, & liberis senatorum, ut celerius Reip. adsuescerent, protinus uirilem togam, latumq; clauum induere, & curiæ interesse, Suetonio teste, permisit. Omittenda putaui scribarum, & id genus summi consilii ministeria. Quis enim est, cui istud non pateat? Illud potius obseruandum esse arbitror Flaminem, de quo modo memini, pelli a prætore senatum habente, hunc auxilium pe-

tere a Tribuno. Mancinum autem apud Ciceronem primo dialogo oratorio Rutilius tribunus pl. e curia educi iubet.

Conuocare uero senatum nemo priuatus potuit. Docet hoc Liuius lib. III. cum ait: Senatum in diem posterum indicunt, qui aliquando spe ipsorum frequentior conuenit, quo facto proditam a patribus plebs libertatem rata, quod iis, qui iam magistratu abiissent, priuatisq; ius abesset, tanquam iure cogentibus, senatus paruisset. Et Lucanus cum de senatu a Cæsare, quem priuatum facit, coacto canit:

. . . . . *Phœbea palatia complet*
Turba patrum, nullo cogendi iure senatus
E latebris educta suis . . . . . .

Sequitur ergo ut magistratus tantum conuocandi potestatem haberent. Qui autem hi fuerint uidendum est. Primum CCXLIV. annis illis ante libertatem præter reges, & interreges senatum inuenio habuisse neminem. Nota enim est illa Seruii apud Liuium querela: Quid hoc, inquit, Tarquini rei est? qua tu audacia me uiuo uocare ausus es patres? Nisi quis suspicetur licuisse conuocare senatum, Præfectis urbi, penes quos summum imperium, cum reges abessent, diximus Romæ fuisse; aut tribunis Celerum, quod ex IV. Dionysii lib. colligi posse uidetur. Pulsis deinceps regibus, ut memoriæ prodidit M. Varro, lib. Epistolicarum quæstionum IV. more maiorum habebant senatum Dictator, Consules, Prætores, Tribuni pl. Interrex, Præfectus urbi; neque alii præter hos, nisi extra ordinem Tribuni militum, & XUIRI consulari potestate, itemq; IIIUIRI Reip. constituendæ caussa creati, & amissa libertate Cæsares. Quod si etiam aliorum auctoritate confirmandum est, testatur id de Dictatore Liuius: Q. Fabius Maximus dictator,

quo

quo die magistratum iniit, uocato senatu, peruicit, ut xuiri libros Sibyllinos adire iuberentur. De consulibus Sallustius in coniuratione Catilinæ: Consul conuocato senatu refert, quid de iis fieri placeat, qui in custodias traditi erant. Et Liuius lib. IIX: Cum repentino tumultu coacti consules senatum uocarent, introeuntibus in curiam patribus laceratum iuuenis tergum ad singulorũ pedes ostendebant. Demum quis est locus, in quo non sit fixum in ueterum monumentis, testimonium huius rei? De Prætoribus Liuius XXII. P. Furius Philus, & M. Pomponius Prætores in curiam Hostiliam senatum uocauerunt. Sequuntur tribuni pl. de quibus dubitari non potest. Etenim Cicero in epistola ad Trebonium sic scribit: Cum senatum ad XIII. K. Ian. tribuni pl. uocauissent, deque alia re referrent totam Remp. sum complexus. Interregem autem Ap. Claudium uideo habere senatum apud Sallustium historiarum lib. I. cui Remp. committendam Philippus censet, cum Q. Catulo procos. uti uideant ne quid Resp. detrimenti capiat; & Papirium Mugillanum, & alios quosdam apud Liuium lib. IV. At præfectum urbi Latinarum gratia relictum, senatum habere posse Mucius negat, teste Gellio, quoniam ne senator quidem sit. Ateius uero Capito, in Coniectaneorum CCLIX. libro, assentitur Varroni. namque & tribunis, inquit, senatus habendi ius erat, quanquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum. Ego autem, cum memoriã uetustatis, resq; populi R. gestas intueor, Tricipitino & Gemino, item Minucio & Nautio cos. Romæ, a Q. Fabio præfecto urbi, senatum habitum reperio. Quanquam tunc, nondum prætoribus illatis in Remp. maior imperii uis, atq; auctoritas fuit in præfectis. Idem obseruaui de Magistro Equitum, quod a Varrone prætermissum esse miror.

Liuius quidē id de Q. Fabio litteris teſtatum reliquit lib. IIX. & de M. Antonio lib. XLII. Dio. Apud Dionem hæc prope ſunt: Quoniā Antonius magiſter equitum ſenatum conuocabat, popularis Reip. ſtatus quaſi umbra quædā, & ſpecies cernebatur. Apud Liuiū autem illa: Magiſter equitū clam e caſtris Romam profugit, & patre auctore M. Fabio qui ter iā conſul, dictatorq; fuerat, uocato extēplo ſenatu, cum maxime conqueretur apud patres uim, atque iniuriā dictatoris, repente ſtrepitus ante curiā lictorum ſubmouentiū auditur. Quæres deinde cum oēs iſti magiſtratus Romæ eſſent quid fiebat? Reſpōdeo, quo ſupra recitati a nobis ſunt ordine, qui eorum prior aliis eſſet, ei potiſsimū, ut ſcriptū eſt a M. Varrone ſenatus cogē di ius fuiſſe. Itaq; nō niſi abſente conſule prætor ſenatum habebat. Cic. ad Planc. Placuit nobis, ut ſtatim ad Cornutum prætorē urbanū, litteras deferremus, qui quod conſules aberāt cōſulare munus ſuſtinebat more maiorum. Senatus eſt cōtinuo cōuocatus. Elegāter in primis, & uere. Nā iuriſdictio urbana honorificētiſſima fuit, ac L. Cæſar, apud Feſt. prætorē maiorē urbanum dici putat, minores ceteros. Quāquā aliquādo uideamus duos uocaſſe, ut poſt cladē ad Thraſymenū illos, quos nominaui, Philū, cui inter ciues, & peregrinos, & Mathonē, cui iuris dicūdi urbana ſors euenerat. Tribuni porro pl. M. Valerio & P. Virginio cos. ſenatus cogēdi ius ſibi uſurpare cœperunt, ut memoriæ prodidit Dionyſius lib. x. Antea enī cōcilii populi tātum indicendi poteſtatē habebant. Patres autē cōuocare, aut ad ſenatū referre, iis nō licebat. ſed erat cōſulū hic honos. Quorū uerborum manifeſta eſt uis, atque perſpicua, nēpe tribunos pl. etiā cū adeſſent cōſules, cogere ſenatum potuiſſe. Idē obſeruaui apertius, in proœmio tertii oratorii lib. a Cicerone ſcriptū. Narrat eo loco Druſi tribuni pl. uocatu, nō ſolum ſenatum, ſed etiam Philippum

lippum consulem in curiam ueniſſe. Quodcirca Varro dixit, consules cũ Romæ eſſent, non ſolos, ſed potiſſimũ ius ſenatus cogẽdi habuiſſe. Etenim raro tribuni pl. nec niſi in re noua, aut in nouo aliquo tumultu ipſi ſua auctoritate ſenatum indicebant. Adeo uero conſulare munus hoc erat, ut abſentibus quoque iis, non ita ſæpe ſupremum conſilium, Cicerone auctore lib. XII. epiſtolarum, iniretur. Quoniam autem conſulum æqualis erat, & par plane poteſtas, facileq; alter intercedere poterat, ſi eo inuito collega aliquid ageret, effici concludiq; poſſe ex eo uidetur, ſenatum nunquam niſi utriuſque conſenſu habitum. Quod ſi quis nondum aſſentitur, ſaltem Appiani teſtimonio fidem habeat, ex quo ego locum totidem uerbis tranſtuli, & infra appoſui. Patres uero, cum in domum Bibuli conuenirent ſæpius, ibiq; inter ſe conſultarent (neque enim ſenatus haberi poterat ſine uoluntate & auctoritate utriuſque conſulis) nihil aduerſus Cæſaris uim proficiebant. Collega uero non intercedente, & ab uno ſenatum cogi potuiſſe non uno loco in annalibus, & ueterum monumentis notaui. Atque ut etiam de illis, ſupra a me commemoratis, magiſtratibus extraordinariis aliquid dicam, Dionyſius auctor eſt, translato ad X uiros imperio, unum ex iis præfinito dierum ſpatio cum faſcibus & inſignibus fuiſſe, quoties res poſtularent ſenatum conuocaſſe, & regimen totius magiſtratus obtinuiſſe. Tribunos autem militares, ſi omnes adeſſent, eodemq; modo & III uiros, credibile eſt communi edicto patres citare ſolitos. De tribunis quoque militaribus legi, ceteris ad uaria bella profectis, tres in urbe relictos; unum, ut urbem, mœniaq; cuſtodiret, alterum, ut arma, tela, frumentum, quæque belli tempora requirerent prouideret, tertium, ut publici conſilii præſes, & rerum omnium urbanarum cuſtos eſset.

Cæſar

Cæsar primo in urbem aduentu senatum per Curionem & Antonium tribunos pl. ut ait Dio, conuocauit. Post dictatura decēnalis, tribunicia potestas perpetua illi est tributa, & ad extremum usq; uitæ magistratus prope cō tinuos gessit, eorumq; iure, quod me tacente quoq; ipsa ratio indicat, senatum conuocabat. Augusto uero, eodē Dione teste, honos hic, in Marcelli & Aruntii consulatu, decretus est nouo modo, hoc est, ut etiam si nullum magistratum haberet, senatum tamē cogere posset. Quo exemplo insequentes imperatores id iuris sibi usurparunt, ut ex fragmento ueteris cuiusdam legis de imperio Vespasiani, cuius uerba, ex tabula Lateranensi descripta, in libro Epigrāmatum antiquorum referuntur, intelligitur. Erit iam finis huius loci, si admonuero minores magistratus, & priuatos, quoties opus esset consules, aut aliquem eorum, quos enumeraui, adire solitos, & ab eo cognitionem senatus petere, ut Q. Fabium ædilem curulem apud Liuium libro octauo, & Mucium apud Dionysium libro quincto. Hæc de magistratibus, qui ius cogendi senatum haberent, hactenus.

Nunc uideamus quæ fuerit conuocandi ratio. Cōuocabatur senatus, aut edicto a consulibus, uel aliquo alio magistratu proposito, aut præconis uoce. Nam proponebatur nonnunquam edictum multos ante dies, cum de re grauiori deliberandum esset, & quæ frequentem senatum desideraret. Per præconem uero, cum aliquid incidisset de quo propere, & sine mora consulendi essent patres, neque operæ uideretur id in aliud tempus differre negotium. Hunc morem describit Liuius; Postquam, ait, audita uox in foro est præconis, patres in curiam ad xuiros uocantis, uelut noua res, mirabundam plebem conuertit. Sic & Appianus libro primo: Opimius armatos in Capitolio prima luce collocat, senatum per præco

nes

nes conuocat. Illius uero meminit consuetudinis Cicero in sexta ad D. Brutum epistola: Cũ Tribuni pl. edixissent, senatus adesset ad XIII. K. Ian. haberentq; in animo de præsidio consulum des. referre: quanquam statueram in senatum ante K. Ian. non uenire, tamen cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi ita haberi senatum, ut de tuis diuinis meritis fileretur. Cui loco similis est ille libri IX. epistolarum ad Atticum: Senatum K. uelle se frequentem adesse, etiam Formiis proscribi iussit. Et tertiæ in Antonium Philippicæ: Cum tot edicta proposuisset Antonius, edixit, ut adesset senatus frequens ad III X. K. Dec. eo die ipso non affuit. At quo modo edixit? hæc sunt opinor uerba in extremo. Si quis non affuerit, hunc omnes existimare poterunt, & interitus mei, & perditissimorum consiliorum auctorem fuisse. Erat autem edicti formula quædam solemnibus quasi uerbis concepta, cuius illa est apud Liuium, Festum, & Gellium clausula: SENATORES, QVIBVSQ. IN SENATV SENTENTIAM DICERE LICET. At ab initio statim post magistratus annuos institutos, teste Liuio, citabantur hoc modo: QVI PATRES, QVIQ. CONSCRIPTI ESSENT. Bello uero Punico secundo, ita consules edixerunt, ut docet Liuius lib. XXIII. quoties senatum uocassent, uti senatores, quibusq; in senatu sententiam dicere liceret, ad portam Capenam conuenirent. Alii uero, cum Hannibal tria millia passuum ab urbe castra admouisset, frequentem senatum continebant in foro, si quid in tam subitis rebus consulto opus esset, ut idem tradit lib. XXVI. Item, in apparatum Macedonici belli conuersa ciuitate, P. Cornelius consul edixit, qui senatores essent, quibusq; sententiam dicere liceret, quique minores magistratus essent, ne quis eorum longius ab urbe Roma abiret,

ret, quam unde eo die redire posset, neue uno tempore quinque senatores ab urbe Roma abessent. Suggerit po stremo Liuius simile quiddam an. DXXIV. Mancino & Serrano consulibus: Interim, ait, Marcio prætori mandatum, ut edicto senatores omnes ex tota Italia, ni si qui Reip. caussa abessent Romam reuocaret, qui Romæ adessent, ne quis ultra mille passuum ab urbe abesset. Ea uti senatus censuit facta sunt. Antiquitus uero cum in agris habitarent senatores, ad eos accersendos uiatores mittebantur. quod significat Cicero in Catone maiore, Plinius lib. XIIX. & Columella lib. I. Fuit & illa quondam ratio præclara, quam Valerius commemorat lib. II. Antea, inquit, senatus assiduam stationem eo loco peragebat, qui hodie quoque senaculum appellatur, nec expectabat ut edicto contraheretur, sed inde citatus protinus in curiam ueniebat: ambiguæ laudis ciuem existimans, qui debitis Reip. officiis non sua sponte, sed iussus fungeretur. quia quidquid imperio cogitur, exigenti magis, quam præstanti acceptum refertur. Aetate porro Augusti signum conueniendi suffimento dari cœptum est. Dio lib. LIV. Præter hæc autem, quæ de modo senatus cogendi diximus, M. Varro, ut apparet ex lib. XIV. Gellii, de pignore capiendo, deque multa dicenda senatori, qui cum in senatum uenire deberet, non adesset, disputauit. Cicero lib. III. ea de re hanc legem rogat: Senatori qui nec aderit aut caussa, aut culpa esto. caussam uocat excusationem iustam, & legitimam, ut ætatis, ut iudiciorum, ut funeris familiaris, ut morbi. Sexagenarii enim habent uacationem auctore Seneca illo, quem recitauimus, loco, & libro de breuitate uitæ. Datur etiam excusationis uenia illis, qui iudiciis operam nauant, propterea Augustus cum certos dies, quibus senatus haberetur, constituisset, cauit, ne iis

diebus

diebus ius dicere, uel aliud id genus publicũ negotium, quod ſenatores impedire poſſet, quo minus in ſenatũ uenirent, attingere fas eſset. Hæc Dio lib. LV. Et in S. C. illo in epiſtola Cælii additũ eſt, ut eos, qui in CCC. iudicibus eſſent, quando cos. de prouinciis referrẽt, abducere liceret. Itidẽ & Salluſtius in libro de Rep. ad Cæſarem ait: His tẽpeſtatibus, alii iudiciis publicis, alii priuati ſuis atq; amicorũ negotiis implicati, haud ſane Reip. conſiliis adfuerunt. Illos, qui familiaris funeris procuratione impediti abeſsent, non potuiſſe multari dixi, quod in defenſione C. Rabirii animaduerterim, hanc cauſſam etiam ad prolationem iudicii, ſatis grauem, & idoneam habitam. Morbi excuſatione utitur Cicero in Philippicis: An ea res agebatur, ut etiam ægrotos deferri oporteret? Hannibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam cauſſam etiam Appium illum & cæcum & ſenem delatum eſſe, memoriæ proditum eſt. de ſupplicationibus referebatur; quo in genere ſenatores deeſſe non ſolent: coguntur enim non pignoribus, ſed eorum, quorum de honore agitur, gratia. quod idẽ fit cum de triumpho refertur. ita ſine cura conſules ſunt: ut pene liberum ſit ſenatori non adeſſe. qui cum mihi mos notus eſſet, cumq; de uia languerem, & mihimet diſplicerem: niſi, pro amicitia, qui hoc ei diceret. de quo fonte & illud manauit: Nec erit iuſtior P. C. in ſenatum non ueniendi morbi cauſſa, quam mortis. Ex illo autem ſuperiore loco intelligitur etiam, qua pœna ſenatores, qui erant in culpa, afficerẽtur. Multa enim iis dicebatur, & antequam hæc ſolueretur pignora capiebantur. Rem ita ſe habere paullo poſt in eadem oratione Cicero clarius ſignificat: Quis unquam tanto damno ſenatorem coegit? aut quid eſt ultra pignus, aut multam? Et Liuius lib. III. Poſtquam citati non conueniebant,

dimissi circa domos apparitores simul ad pignora capiẽda, sciscitandumq; num consulto detrectarẽt. Vendi autem solita innuit Cicero in proœmio tertii de Oratore, cum ita Crassum facit loquentem: An tu, cum omnem auctoritatem uniuersi ordinis pro pignore putaris, eãq; in conspectu populi R. concideris, me his pignoribus existimas posse terreri? non tibi illa sunt cædẽda, si Crassum uis coercere: hæc tibi est excidenda lingua, qua uel euulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. Cædere antiquo uerbo dixit, pro eo quod est auctione distrahere. Namque cædere significabat consumere, ut est a Nonio in commentariis linguæ Latinæ ueriſſime traditum. Et homo eloquentissimus, ac senator constantissimus, lusit in uerbi ambiguitate, ut hoc ipso ostenderet se consulis furiosi amentiam & acerbitatem contemnere, & pro nihilo ducere. Leuiculum autem est quod putauit Franciscus Connanus, uir ceteroqui iuris, antiquitatis, & litterarum peritissimus, pignora ablata consules concidere & frangere consueuisse. Indeque ait Antonium se disturbaturum ædes Ciceronis minari. Sed utrum talia tantæ ciuitatis instituta, & cogitata siccorum, an uero asotorum hominum cœpta, & temulentorum somnia iudicabimus? Eodem modo consules minores magistratus, pontifex maximus sacerdotes, & imperatores in castris legatos, & senatores coercebant. Quæris unde hoc præceptum hauserim? unde nisi ex historiæ fonte. Plutarchus in Catone: Narrat dixisse Munacium se, re comperta, neque ad cænas, & prandia uenisse, neque si ad consilium uocaretur paruisse, cũque minaretur se eum pignore (ita enim agi solet cum illis, qui non obtemperant magistratibus) coacturum, nihil istos terrores curasse. Liuius lib. XXXVII: Priusquam in prouincias prætores irent, certamen inter P. Liciniũ pon-

pontificem maximum fuit & Q. Fabium Pictorem flaminem quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum & Postumium Albinum fuerat, cos. illum, cum C. Lutatio collega in Siciliã ad classem proficiscentem, ad sacra retinuerat Metellus pont. max. prætorem hunc, ne in Sardiniam proficisceretur, P. Licinius tenuit, & in senatu, & ad populum magnis contentionibus certatum est: & imperia inhibita ultro citroq;, & pignora capta, & multæ dictæ, & tribuni appellati, & prouocatum ad populum est, religio ad postremum uicit, & dicto audiens esse flamen pontifici iussus, & multæ ex iussu populi remissæ. Ceterum summam, quam penderent senatores, si Reip. consiliis nollent adesse, legibus credo fuisse præfinitam. Et enim Dio prodidit Augustum, cum unus omnia teneret, has multas ampliasse. Multabantur uero non solum si abessent, uerum etiam si uenissent tardius, ut eidem placet libro LIV. Ac de modo cogendi senatus diximus.

Intelligendum autem est nisi legitimus esset coactus senatorum numerus, nullum S. C. fieri potuisse. Liuius lib. XXXIIX. Neque his contentus Aemilius consul fuit, sed postea per infrequentiam adiecit S.C. Am braciam nõ uideri ui captam esse. Et apud eundem lib. XXXIX. Fuluius quærit quid ab eo quisquam possit æqui expectare, qui per infrequentiam furtim S. C. factum in ærarium detulerit. Item Dio XXXIX. sic scribit: Cum non conueniret is numerus, quem ad S. C. faciendum leges præscribunt. Itaque, Sex. Pompeio teste, cum impedimento esse uult senator, numera senatum ait consuli. Ac certum numerum ad S. C. faciendum necessarium fuisse, inter omnes constat, qui uero hic fuerit, uariæ sunt, & discrepantes uirorum doctorum opiniones. Me uero haud pœnitet eorum sententiæ, quibus de se-

natus consilio, quem numerum conficere deberet, non eodem modo, sed pro magnitudine rerum, de quibus ageretur, definitum placet; & cum, ut differui superiore libro, nō eadem semper Romæ senatorum esset summa, ratione & proportione totius ordinis numerum S. C. faciendis legitimum modo auctum, modo diminutum. Liuius lib. XXXIX. narrat S. C. cautum, ne qua Bacchanalia Romæ, neue in Italia essent, si quis tale sacrum solemne, & necessarium duceret, nec sine religione & piaculo se id omittere posse, apud prætorem urbanum profiteretur, prætor senatum consuleret, si ei permissum esset, cum in senatu centum non minus essent. De re igitur adeo graui centum senatorum consilium satis habuit ponderis illa ætate, qua trecenti in altissimum ordinem legebantur. Hoc enim S. C. factum est anno DLVII. Sp. Albino Q. Philippo cos. Anno autem post id a senatu decretum CXX. in M'. Glabrionis & C. Pisonis consulatu, tulit legem C. Cornelius tribunus pl. ne quis in senatu legibus solueretur, nisi CC. affuissent. A paucioribus tamen alia S. C. facta, præter id, quod nominatim in lege scriptum erat de iis, qui legibus soluerentur, Cicero etiam in Epistolis ad Q. Fratrem palam ostendit: Sane, inquit, frequentes fuimus in senatu, omnino ad ducentos. Vnde & aliud argumentum urget pro me, si Lentulo & Metello cos. pauciores quam ducenti sufficiebant, multo magis ante legem Corneliam, & post eam latam quinque circiter annis, antequam Pisone, & Messala cos. tot in summum gradum ciuitatis essent cooptati. Ac quæcunque hæc fuerit lex, eam sæpe uiolatam ab optimatum factionibus ex Asconii in Cornelianam commentario clarum & perspicuum est. Propterea quę hanc nobilium hominum licentiam numero senatus multiplicato reprimendam

mendam esse Cæsari suadet Sallustius, in libro de Rep. ordinanda. Si quis uero antiquorum temporum memoriam recordari uelit, C. Cæsarem, in illa senatorum multitudine, numerum senatusconsultis faciendis maiorem intulisse non negabit. Quod si quibusdam hominibus, qui sibi nimium acuti uidentur in mentem uenisset, non adeo temere, Dionem mendacii accusassent, cum lib. LIV. in hanc ferme sententiam scribit: Videns Augustus senatum non semper frequentem conuenire decreuit, ut S. C. etiam a paucioribus quam quadringentis fierent. Namque prius usque eo rata non erant, quoad is numerus effectus esset. Non enim hæc uerba, ut illi inepte censent, referenda sunt, ad illud sub libertate populi R. & gubernatione magistratuum, sed ad hoc sub dominatione Cæsaris positum tempus. Ab eodem historico proditum est Augustum, cum C. Mario, & C. Asinio cos. denuo ea, quæ uitiis, & uiolentia superiorum temporum inuecta erant mutaret, & legibus uniuersam alligaret senatus disciplinam, numerum S. C. faciendis alium, atque alium, ut res, de quibus senatus consultabat, diuersæ erant, constituisse.

Nunc de loco senatus habendi ordiri pergam. Ac primum scire omnes uelim, solum Festum senaculum curiam appellare, Liuius autem lib. XLV. & Varro. lib. IV. itemque Valerius lib. II. senaculum dicunt fuisse, locum quendam ante curiam, in quo senatus, aut seniores consisterent, dictum ut γερουσίαν apud Græcos. Ita uero more maiorum comparatum erat, ne S. C. nisi loco legitimo factum, iustum haberetur. cuius rei multos habemus præceptores, sed neminem aut doctrina præstantiorem, aut auctoritate grauiorem Varrone, qui hoc lib. IV. Epistolicarum quæstionum, ut memorat Gellius, prodidit. Si quis autem in altiorem memoriam diligenter

ligenter aciem quasi mentis intendat, primum statuet, nullum priuatum locum senatui habendo fuisse legitimum, deinde non omnes publicos, sed templa tãtum. Quorum unum Zonaras &si non aperte dicit significatione tamen quadam ostendit. Quoniam Vulsiniẽsium legatos clam missos Romam ægre impetrasse narrat, ut in ædibus priuatis, ne eorum legatio euulgaretur, senatus conueniret. Alterum M. Varro lib. IV. ad Oppianum perspicue demonstrat. In eam uero intuenti rem doctissimo uiro multa occurrebant, inde factum esse, ut in curia Hostilia, inde ut in Pompeia, & post in Iulia templa constituerentur, cum ante profana ea loca fuissent. Idem etiam affirmat Cicero, quando in defensione Milonis, curiam templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici appellat. Et Lampridius haudquaquam spernendus rerum scriptor, in libro de uita Seueri, quando ait senatum frequentem in curiam, hoc est, in ædem Cõcordiæ templum inauguratum conueniisse. credo autem disputationis illius epistolicæ Varronis sententias persecutum esse Seruium Honoratum in explicatione lib. VII. Aeneidos. Nec enim apis similior est api, quam id quod in septimum Vergilii librum adnotauit, doctrinæ illi Varronis, paullo ante a nobis ex Gellii lib. XIV. allatæ. Augusta, inquit, mœnia uocat augurio consecrata. Hinc non multo post: Tectum augustum ingens. Et nisi in augusto loco senatus consilium habere non poterat. Subiicit deinceps Gellius Varronem scriptum reliquisse non omnes ædes sacras templa esse, ac ne ædem quidem Vestæ templum uideri. Quod idem Seruius non solum tradit, sed aliud etiam præceptum ex Varrone prætermissum a Gellio profert, atrium Vestæ ab æde non ita procul remotum templum fuisse, & senatus consilium eo loco habitum. Ac potissimum quidem habebatur

batur ſenatus in deorum immortalium templis, ut uene ratione quoque loci ſenatores a prauis cogitationibus abducerentur. Sic enim Tullius pro domo: Cenſor, in quit, penes quem maiores noſtri (id quod tu ſuſtuliſti) iudicium ſenatus de dignitate eſſe uoluerunt, Concordiæ ſignum uolebat in curia, curiamq; ei deæ dedicare. Præclara uoluntas, atque omni laude digna. Præſcribere enim ſe arbitrabatur, ut ſine ſtudiis diſſenſionis ſententiæ dicerentur, ſi ſedem ipſam, ac templum publici conſilii religione Concordiæ deuinxiſſet. Quare maxime illæ celebrantur annalium monumentis propter ſenatus conſilia ædes; Iouis Statoris, Iouis in Capitolio, Iouis Mariana, Concordiæ, Fidei, Telluris, Vulcani, Virtutis, Apollinis, & Bellonæ. Illud tamen addo, ſi quis templi uim definiendo explicans, genus eius uniuerſum ædem alicuius Dei eſſe diceret, næ ille in Latinorũ conſuetudine obſeruanda haud plurimus fuiſſe uideretur. Iam id patet ex eo, quod de atrio Veſtæ diximus. Et hoc amplius quod campus etiam modo ſit per augures conſtitutus templum eſt. Propterea bello Hannibalis Flaccus caſtra inter portam Eſquilinam Collinamq; cũ poſuiſſet, conſules eo, ut inquit Liuius, ſenatusq; conuenerunt, & ibi de Rep. conſultarunt. Idem intelligere licet, ex illis Propertii nobiliſſimi, & doctiſſimi Elegiarum ſcriptoris de antiqua Roma, & Romulo uerſibus:

Buccina cogebat priſcos ad uerba Quirites
Centum illi in prato ſæpe ſenatus erat.

Præterea fuerunt quædam nullius dei religione obſtricta templa, ſed tanquam ſedes ab uniuerſo populo uni ſenatorio conceſſæ ordini; ut curia Calabra, curia Hoſtilia, & alia ad portam Capenam, item Pompeia, Iulia, Octauia. De quibus, quæ obſeruaui non alienum uidetur ab inſtituti ſermonis officio deinceps ſubtexere

texere. Curiam Calabram Romulus condidit, ad quam senatus mandato regis, & populus iussu pontificis, ut rationem dierum, sacrificiorum, ludorumq; cognosceret, calabatur, hoc est, uocabatur. Auctor Seruius, homo non summa præditus doctrina, sed tamen non nihil scit. Curiam autem Hostiliam, ut nomen ipsum declarat, & Varro lib. IV. de lingua Latina, Liuiusq; libro primo testantur, Tullus Hostilius exstruxit. Eius situm indicat Varro his uerbis: Ante hanc sunt rostra. Et Festus, cũ narrat antiquissimam fuisse curiam illo loco ubi, Nicostrati ætate, (cuius libro de senatu habendo usus est, in componendis de uerborum priscorum significatione libris) ædes Concordiæ fuit, inter Capitolium, & forum. Ceterum & ante Cæsarum imperium cogitauit Cassius censor signo Concordiæ, quod a Q. Marcio in publico collocatum erat, translato in curiam, templum illud ei deæ dedicare, sed ex commentariis pontificum M. Aemilius pontifex pro collegio respondit, nisi eum nominatim populus R. præfeciisset, atque eius iussu faceret, non uideri recte posse dedicari. Cum autem Milo interfeciisset Clodium, corpus illius a plebe uaniissimo, & leuissimo hominum genere in curiam perlatum, ibiq; rogo ex subselliis constructo, cum ipsa curia, combustum omnes tradunt. Verum statim a Fausto Syllæ F. Dione teste, ex S.C. refecta est, & de secundi conditoris nomine aliam traxit appellationem. Nam & prius, inquit, Sylla pater curiam eandem Hostiliam nouo ædificii genere exornauerat. Quo fit, ut ita Pisonem uerba facientem quincto de Finibus dialogo Cicero induxerit: Equidem curiam nostram, Hostiliam, dico, non hanc nouam, quæ mihi minor esse uidetur, postea quam est maior, solebam intuens Scipionem, Catonem, Lælium, nostrum uero imprimis

mis auum cogitare. Rursum in tertia, ut opinor, aut quar ta Cæsaris dictatura ædem hanc demolitum esse Lepidum Dio refert, uerbo quidem propterea, quod Felicitati fanum in ea area inædificandum uisum esset, re autem, ut ne, & hoc monumentum Syllani nominis extaret; tum ut altera, quam exstruxisset Cæsar, senatorii ordinis sedes, curia Iulia uocaretur. Deinde uero Hirtio & Pansa cos. multorum, & metuendorum prodigiorum nunciis perculsa urbe, S. C. factum fertur de antiqua illa reficienda. Ad portam autem Capenam aliam fuisse curiam dixi, haud infirmo testimonio Festi, & Liuii libro XXIII. nixus. Verum Pompeiæ multo crebrior in rebus populi R. gestis fit mentio, eiusq; origo, & situs certis litterarum notis ita sunt expressa, ut de iis nihil sit, cur magnopere laboremus. Nam Plutarchus eam a Pompeio dedicatam, & ornamenti caussa theatro adiectam, in Cæsare, & Bruto, scribit. Quo fundamento iacto & si iam satis patet curiam Pompeiam fuisse extra pomœrium, tamen instituti tuendi caussa Dionis etiam testimonium proferam. Hic lib. XL. Ad theatrum, inquit, extra pomœrium senatus habitus est. Atque hoc quidem in templo senatum ludorum diebus haberi solitum Appianus lib. II. docet. curia autem Iulia, quæ erat prope comitium, in locum Hostiliæ succesſit. Quam ut Cæsar cõstrueret senatus decreuerat, sed a IIIuiris demum condita est, & post ab Augusto, qui sibi unus imperium Cæsaris uẽdicauerat, dedicata. Dio lib. XLVII. & LI. Restat Octauia extra pomœrium, ut testatur idem lib. LV. sita. Itaque cum acrius aliquanto, & attentius hanc rem considerarem, in ea mente, & cogitatione uersabar, curiam hanc in locum Pompeiæ, quæ post cædem Cæsaris est obstructa, Augustum consecrasse. Reliqua post commodius cognoscentur. Hæc uero de se

natus loco in præsentia generatim dixisse satis sit.

De tempore autem quo senatus aut conuocaretur, aut haberetur, illud constat apud me nō ut certum diem sacrificii, sic huius supremi consilii expectari, sed, quo tiescunque res postularet, subito cogi solitum. Præcipiunt quidam lege fuisse cautum, ne diebus comitialibus haberetur. A quibus ego dissentire nec debeo, nec, cum suam coniecturam grauissimis, locupletissimorum auctorum, testimoniis confirment, possum. Producunt autem Ciceronem, qui ad Q. Fratrem scribit secutos esse comitiales dies, per quos senatus haberi non poterat. Citant etiam Cælium, quando ait in S. C. illo, cuius iam aliquoties mentionem fecimus, additum, ut de prouinciis consularibus per dies comitiales consules senatum haberent. Adiungo his & ipse, Cæsarem commentario primo de bellis ciuilibus, ita narrantem: Qua ex die consulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali, de imperio Cæsaris, & de amplissimis uiris tribunis pl. grauissime in senatu, accerbissimeque decernitur. Et M. Ciceronem infra scribentem ad Quinctum hoc modo: Comitialibus diebus, qui sequuntur Quirinalia, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum. Sed quos hi auctores comitiales dies nominent quæro? Respondent eos, ut Liuius, Macrobiusq; docent, quibus cum populo agere licuit, quique in Fastis dierum ex uetusto marmore descriptis littera C. notantur. Ego cum liberæ esse debeant omnium in re litteraria sententiæ, uerecunde tamen, mihi id non placere dico. Et ut non placeat adducit me senatoriæ consuetudinis diligens in ueterum libris obseruatio. Notaui in Ciceronis orationibus in Antonium dies, quibus est senatus habitus, XIII. K. Oct. IV, & VIII. K. Dec. XIII. k. Ian. & I. in Catilinam XII. k. Nouem.

tum

tum in litteris ad Lentulum Ciceronis XVI. k. Feb. & in Cælii ad Ciceronem XI. k. Sext. et apud Cæsarem VII. Id. Ian. & alios sexcentos, qui littera C. in antiquo marmore signantur. Deinde moueor dierum, quibus magistratus cum populo agendi potestatem habebant, multitudine. In illo enim lapide numero ad ducentos. Quemadmodum homines doctissimi id accepturi sunt horreo. Sed humanum est labi. Itaque profiteor me existimare comitiales dies a Cicerone illis locis, & a Cælio, Cæsareque appellari, non quibus comitia haberi possent, sed quibus haberentur. Ita definit Festus dies comitiales, cum in comitio conueniebant. Ergo, uerbi gratia, si indicta essent comitia ad III. Non. Mar. quo die legem ferre, aut magistratus creare licuit, non potuit ad eam diem ut senatus adesset consul edicere, ne senatores uel a petitione, uel a suffragiis auocarentur. Ferebant enim suffragia etiam tributis comitiis. De quo non est cur magnopere dubitetur, cum id Varro lib. II. de re Rustica doceat: Comitiis, ait, ædiliciis cum, sole caldo, ego, & Q. Axius senator tribulis, suffragium tulissemus. Verum si non essent comitia, die illo, quo haberi poterant, nihil uetabat, quo minus ciues amplissimi senatorio munere fungerentur. Itaque legimus, & notauimus, si res incidisset grauior, quæ senatus desideraret cognitionem, comitia ex S. C. sæpe dilata. Cicero pro Murena: His rebus auditis, memin istis fieri S. C. referente me, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere posemus. Neque hoc tam comitialibus diebus, quam comitiis ipsis tributum, multa sunt quæ declarent, in antiquorum libris, exempla. Eodem enim die statim post comitia uocatos sæpe in curiam patres uidemus. Nam ita narrat lib. XXXIX. Liuius: Senatus deinde concilio plebis dimisso haberi est

cœptus. Et XLIIX: Consul dimissis comitiis senatum uocauit. censuerunt frequentes ad populum cum Flacco agendum. Omitto Ciceronem lib. II. ad Q. Fratrem, prætereo Dionem lib. XXXVII. & alios. Considerandum uero est, utrum illi, quos recitauimus loci possint hanc admittere interpretationem. Et primum de illis uerbis ex epistola Non occupatione, lib. II. ad Q. Fratrem non ambigo. Nam & si comitia habita, aut concilium aliquod plebis statim post XVI. k. Feb. quo illa acta esse in senatu Cicero, de rege Alexandrino ad Lentulum scribens, narrat, nullibi reperio: tamen ne id credam, nihil omnino intercedit. Vt uero in Cœlii epistolis legimus, senatus decreuit Reip. tempora flagitare, ut ex K. Mar. posthabitis aliis omnibus rebus, de prouinciis consularibus referretur. Sed cum lex esset, ut diebus comitialibus, si agere uellent magistratus cum populo, supersederetur a publico consilio, ne hoc modo mora ab aliquo afferretur, quo minus de prouinciis consularibus patres consuli possent, adiectum est in S. C. extra ordinem comitialibus diebus senatus potius & publici consilii, quam comitiorum rationem oportere haberi. Diebus porro duobus, quorum meminit Cæsar, cum populo actum nemo negabit, cum sic reperiatur in eodem libro scriptum: Completur urbs ad ius comitiorum. Vltimus, & difficillimus est locus in lib. epistolarum II. ad Q. Fratrem. caussa autem difficultatis hæc est, quod sententiam legis Pupiæ, & tempus adhuc inuenire non potui. Explicatur ita a nonnullis: Tulit . . Pupius . . ne senatus a XVI. k. Feb. ad usque k. Feb. haberetur, ne nisi perfectis, aut reiectis legationibus aliis de rebus senatus haberetur. Verum hoc de legationibus non lege Pupia, sed Gabinia sanctum fuit, ut intelligitur ex uerbis Ciceronis: Comitialibus diebus,

qui

qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur, non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum. Hæc de lege Pupia. Sequitur de Gabinia. Et, quod, inquit, Gabinia sanctum sit, etiam cogi usq; ad k. Mar. legatis senatum quotidie dari. Et quanquam ad Lentulum non nominat legẽ Gabiniam distincte tamen dixit: Senatus haberi ante k. Feb. per legẽ Pupiam, id quod scis non po test. Neq; mense Feb. toto, nisi perfectis, aut reiectis lega tionibus. Per legem Gabiniã scilicet. Cum uero, ut supe rius commemoratum a nobis est, dixerit, Appium in terpretari se non facturum contra legem Pupiam, si die bus comitialibus, qui sequuntur Quirinalia senatum ha beret, manifestum est decipi eos, qui de extremo tan tum Ianuario mense Pupium sanxisse credunt. Quirina lia enim sacra, Sex. Pompeio, & marmore antiquo te stibus, Februario mense, non Ianuario fiebant. Crede rem lege hac cautum fuisse, ut diebus comitialibus ra tio haberetur comitiorum potius, quam patrum consi lii, ac maxime si aliquibus magistratibus ciuitas careret. Nam scribit Q. Fratri Appium, consulem ex interregno creatum, detrudere comitia prætoria in mensem Martiũ conari. At Philippo, & Marcellino cos. quo anno illa ad Lentulum epistola est missa, comitia turbulenta Clo dii ædilis mense Ianuario fuisse constat. Sciuit autem post ædiles Lentulus, & quæstores, & alios non paucos magistratus minores, more institutoq; ueterum, creari debere. Exposui de re obscurissima opinionem meam. Quanquam hic mihi ualde, ut aiunt, aqua hæret. Ita que non ero pertinax, & si quid probabilius audiero, non grauate in aliorum sententiam pedibus ibo. Sed cer te aut ita sentiendũ, aut fastis dierum marmoreis, quod licet mallim, tamen hactenus, ueneratione, qua omnem prosequor antiquitatem adductus, eloqui non sum au-

sus,

tus, fides est abroganda. Quæritur secundo loco atris, & religiosis diebus utrum consulerentur patres. Negat Dio, ut quidam aiunt, lib. XLV. his uerbis: A. Hirtio C. Pansa cos. K. Ian. senatu conuocato per dies perpetuos tres deliberatum est. Nam eo, quod impendebat, bello, prodigiisq; plurimis, & admirabilibus perterriti, ne religiosis quidem diebus, de iis rebus, quæ ad salutem & incolumitatem pertinerent, consilia intermittebant. Diem uero religiosam uerbo Græco ἀποφράδα uocat, quo nomine & Plutarchus in Camillo utitur, cum narrat de XV. die K. Sext. quo ad Alliam cum exitio urbis fœde pugnatum est. Quæ religio non solum erat XV. K. Sext. uerum postridie & Idus, & Nonas, & Kalendas omnes. Iam igitur nescio an id uerum esse possit. Cicero lib. I. ad Atticum: Perfectum a nobis est, ut frequentissimo senatu, & libentissimo uterentur, multaq; a me de ordinum dignitate, & concordia dicta sunt K. Dec. & postridie. Et lib. IV. cum scripsisset senatum K. Oct. fuisse frequentem paucis interiectis adiicit hæc: Postridie S. C. factum est, quod ad te nisi. Quincto demum fratri nunciat lib. II. quod Idibus Maii, & postridie fuerat dictum, de agro Campano in senatu actum iri, non esse actum. Possem & alia multa proferre testimonia; uerum aut hoc testimoniorum satis est, ut ille dicere solitus erat, aut ego quid satis sit omnino ignoro. Festi uero dies licet senatui habendo essent legitimi, tamen non ita sæpe iis supremum consilium initum Cicero lib. II. ad Q. Fratrem significat. Nam in prima eius libri epistola ait: senatus fuit frequentior, quam putabamus esse posse mense Decembri, sub dies festos. Idus uero, Nonas, Kalendas solemnes senatus dies fuisse puto, quod sæpe in annalibus nominentur; maxime autem insignes K. Ian. & antea Id. Mar. atque alios quosuis, quibus consules,

sules, ex instituto maiorum inibant. Itaque Liuius lib. XXVI. refert M. Marcellum, cum Id. Mar. consulatum iniisset, senatum eo die moris tantum caussa habuisse, professum nihil se absente collega, neque de Rep. neque de prouinciis acturum. Et Ouidius lib. IV. de Ponto, nobilem illam K. Ian. pompam pulcherrimis describens uersibus, canit:

Curia te excipiet, patresq́; ex more uocati
Intendent aures ad tua uerba suas.

Ceterum non uidetur antiqua illa senatus distinctio, quã multis placere uideo, ut alius legitimus esset, alius indictus. Primus enim Augustus instituit, Dione teste lib. LV. cum antea nihil esset hac de re sancitum, certos singulis mensibus senatus habendi dies, quibus necessa rio senatores, quibusq́; ius erat sententiæ, in senatum uenirent. De quo Augusti decreto Suetonius: Sanxit ne plus quam bis in mense legitimus senatus cogeretur, scilicet K. & Id. ne´ue Septembri, Octobri´ue mense ullos adesse alios necesse esset, quã sorte ductos, per quorum numerum decreta confici possent, sibiq́; instituit consilia sortiri Semestria, cum quibus de negotiis ad fre quentem senatum referendis ante tractaret. Quo loco legitimum senatum admoneo opponi non indicto, sed Octobris, Septembrisq́; mensis senatui, & Semestri sena tulo. Hæc enim consilia noua erant, nullis legibus, nullo exemplo maiorum introducta. Ad tempus quoque spectat, quanquam sæpe ad solis occasum senatus retine retur, post horam tamen decimam nihil noui referri potuisse. Docet hoc Seneca cap. XIV. lib. I. de Tranquillitate uitæ. Maiores, inquit, nostri nouam relationem post horam decimam fieri uetabant. Et quod Varro præ cepit S. C. ante exortum, aut post occasum solis factum ratum non fuisse, opus etiam censorium feciſse existima

tos,

tos, per quos eo tempore S. C. factum esset. Postremo scribit Suetonius, & Dio, interfecto Cæsare Id. Mart. solemnem senatus diem, parricidium a III uiris nominatas, ac ne unquam senatus eo die haberetur decretum.

Iam uero ritus, & solemnia curiæ describenda, ac depingenda nobis sunt. Primum omnium magistratus, qui senatum habiturus esset, immolabat hostiam, auspicabaturq; teste Varrone. Quod est etiam ab Appiano lib. II. in hanc ferme sententiam scriptum: Est autem mos, inquit, magistratibus in curiam ingressuris prius uti haruspicina, ac rursum in Cæsaris uictima cor, uel, ut alii dicunt, caput extorum non est inuentum. Vltimis temporibus, cum in Rempublicam inuasisset, Octauianus decreuit, ut & senatores ture, ac mero supplicarent illi Deo, in cuius templo senatus habebatur. Est id apud Dionem lib. LIV. Posthæc Augustus, in aliud quinquennium præfectus morum factus, sanxit, ut senatores, quoties in curiam conuenire, aut ad se accedere uellent, suffimentum adolerent; eo & religionis studium inculcabatur, & signum conueniendi facilius dabatur. Et apud Suetonium in uita Augusti: Quo autem lecti probatiq;, & religiosius, & minori molestia senatorio munere fungerentur, sanxit, ut priusquam consideret quisquam ture, ac mero supplicaret, apud aram eius Dei, in cuius tẽplo coiretur. Nec prætermittam C. Marium, in secundo consulatu, primum triumphali uestę in senatum uenisse. Non enim uisum est hoc indignum Liuio homini summo, quod historiarum monumentis proderet. Et si Dio, alios secutus auctores, coactum eum deponere ornamẽta triumphi, & togatum consilium patrum conuocasse lib. XLIIX. dicit. Cicero autem in Gratiarum actione pro Marcello confessum appellat senatum. Et in epistolis ad Ap. Pulchrum longum subsellium. Propterea

quod

quod iudicum subsellia breuiora essent. Consules uero in senatu sellis curulibus sedebant, quem Cicero morem aperte expressit in ea, quam Non. Dec. in senatu contra Catilinam habuit: Non denique, inquit, hæc sedes honoris sella curulis, unquam uacua mortis periculo, atque insidiis fuit. Cæsari etiam uictori inter maxima ornamenta tributum legimus, apud Dionem, ut in senatu propter consules, & ipse sella curuli sederet. Eundemq; locum honoris & Augustus tenuit. Atque hæc, & si ad intelligendos libros Latinorum non inutilia sunt, tamen fortasse prudentibus hominibus possunt leuiora uideri. Quare nō immorabimur in iis diutius, & iam antiquam ad senatum referendi consuetudinem inuestigare ordiemur. Consulebant igitur patres non solum ii, qui habebant senatum, uerum & alii magistratus. Quod quoniam pauci sciunt, nemo certe docuit, pluribus argumentis demonstrandum puto. Primum Cicero quandam in senatu orationem orsus est hoc modo: Paruis de rebus, sed fortasse necessariis consulimur P. C. de Appia uia, & de Moneta consul, de Lupercis tribunus pl. refert. Deinde in epistolis, cum Lentulo scripsisset, quæ quis patrum ex relatione cos. censeret, Volcatium quoque nunciat referente Lupo tribuno pl. Pompeium, ut Ptolemæum reducat decernere. Tū in Sextiana L. Mūmium tribunū pl. consule Gabinio nolēte, tempore suo grauissimo, ad senatum retulisse, cumque senatus frequens pro salute ipsius mutandam uestem cēsuissset, Gabinium exanimatum, euolasse ex senatu dicit. Postremo Plutarchus ita narrat de Antonio tribuno pl. Cum Cæsaris litteras recitari in senatu Pompeiani non sinerent, ipse (nam magistratus iure poterat) eas recitauit. Quanquam enim litteras priuatim missas, si id ad Reip. commodum pertineret, priuatis licuit in senatu recita-

re; illas tamen, quæ publice mittebantur, nemo, nisi qui referendi potestatem habebat, potuit. Obtinuimus ergo senatum habentibus consulibus, tribunis pl. concessum fuisse ad illorum relationem aliquid addere, & de eo, quod in rem uideretur patres consulere. Quid uero prætores? an referebant ad senatum? Dio lib. LV. præcise ante Augusti imperiũ negat. At Liuius, & Cicero, quibus credidisse malis aiunt; sed tum solum quando maior potestas non uetabat. Liuius quidẽ lib. XLIX. refert S. C. cautum, ut si quis sacrum Bacchi necessariũ sibi duceret, apud prætorem urbanum profiteretur, prætor senatum consuleret, si ei permissum esset. Et libro XLII. Caius, inquit, Licinius prætor consuluit senatum, quem quærere ex rogatione uellent. Patres ipsum eum quærere iusserunt. Tum demum in prouinciã cos. profecti sunt. Ciceronis autem hæc sunt uerba in oratione pro lege Manilia, quam suasit prætor: De quo legando spero consules ad senatum relaturos, qui si dubitabunt, aut grauabuntur, ego me profiteor relaturum. Vnde & in III. de Legibus iure sanxit: Cum populo patribusq; agendi ius esto prætori. Itidem, ut ibi scisit, magistro equitum. censores uero Flamininus & Marcellus, teste Liuio, Campani ubi censerentur senatum consuluerunt, decretumq; uti Romæ censerentur. Qua de re & infra: Campani, cum eos, ex S. C. quod priore anno factum erat, censores Romæ censeri coegissent, petierunt, ut sibi ciues Romanas uxores ducere liceret. At si quid alii magistratus inuitis consulibus referrent, uetare poterant? Fateor, & addo honorem hunc consulum præcipue fuisse. Sed non ex eo concluditur, prætores, & ceteros ius consulendi patres non habuisse. Nam & consulis relationi intercedit tribunus pl. Tacitus Annali I. Scaurus dixerat, spem esse ex eo non irritas fore

senatus

senatus preces, quod relationi consulum iure tribuniciæ potestatis non intercessisset: tamen consules potestatem referendi maximam habuisse nemo ignorat. Et quanquam ille, penes quem fasces erant, hoc iure collega superior erat, Dionysio lib. IX. auctore, uterque tamen cos. referebat. Exempla passim occurrunt in annaliũ monumentis. Itaq; de re minime dubia plura non loquar. Referebant tamen ambo plerumque Liuius lib. XXVI: Consulum de prouinciis communis relatio fuit. Ita, & de tribunis, & aliis, quos enumeraui magistratibus, obseruo, aliquando totius collegii unam fuisse relationem, aliquando uero simul aliquot, sæpe seperatim suo quenque nomine retulisse. Augusto XI. cum Pisone consuli, quo tempore L. Sestium in suum locum subrogauit, referendi potestatem, etiam si consulatum nõ haberet, S. C. tributam Dio prodit. Inde honos is, ut & cogendi ius, ad alios imperatores permanauit. Nemo uero, ut in ueterum libris scriptum est, magistratus nisi stans in senatu uerba faciebat. Cicero lib. II. ad Q. Fratrem: Racilius surrexit, & de iudiciis referre cœpit. Dionysius lib. V. Hæc cum legati dixissent, surrexit Brutus consul, & huiusce modi uerba locutus est. Lego apud Dionem, Augustum, cum ægrotaret quæstoris in senatu ministerio usum. eundemq; absentem de flagitiis filiæ libellum per quæstorẽ recitasse. Quod quasi honoris, & amplitudinis, non necessitatis, & pudoris caussa factũ, successores illius imitatos tum ex aliorum monumentis, tum ex Taciti XI. Annali colligo. In quo hæc sunt: Et oratio principis per quæstorem eius audita est. Duo etiam genera relationum Varro edit: Vnũ, cum infinite de Rep. alterum, quando singulis de rebus finite patres consulebantur. Sæpe uero aliquot magistratus priusquam sententiæ rogarentur referre ordine quenque, si quid habe

ret, consueuisse, & si nemo tradit aperte, tamen ex Ciceronis VII. Philippica, epistolisq; ad Lentulum existimare licet. Sæpe item uno S.C. unaq; re perfecta, aliam relatam Seneca lib. de Tranquillitate uitæ innuit. Anno CDXXIII. Plautium cos. accepi hoc modo retulisse, hancq; fere relationis formulam esse. Quoniam auctores defectionis meritas pœnas, & ab diis immortalibus, & a uobis habent P. C. quid placet de innoxia multitudine fieri? Equidem, & si meæ partes exquirendæ magis sententiæ, quam dicendæ sunt; tamen cum uideam Priuernates uicinos Samnitibus esse, unde nunc nobis incertissima pax est; quam minimum irarum inter nos, illosq; relinqui uelim. Postremo, qui ius referēdi habebant, iis cum uellent relationem remittere concessum erat. De quo significat, ut opinor, legis de imperio Vespasiani, quæ in æs incisa, & perscripta adhuc Romæ extare dicitur, caput istud: VTIQ. EI SENATVM HABERE, RELATIONEM FACERE, REMITTERE LICEAT, ITA VTI LICVIT DIVO AVGVSTO.

Sequitur ut doceam, qui fuerit sententiarum rogandarum modus. Si separatim consules retulissent, uel cum his tribuni quoque, aut alii quiuis magistratus, credibile est non omnes, sed eum tantum consulem, qui cum fascibus erat, rogasse. hanc ego facio coniecturam ex his Liuii uerbis: Consules de pace Caudina retulerunt, & penes quem fasces erant, dic Sp. Postumi inquit. At si consules abessent, qui rogaret quæres? Mihi quoque hac de re dubitanti nullum, quo stari possit, indicium in antiquorum libris occurrit. Sed si dicerem urbanum prætorem, prætoribusq; absentibus tribunum, quem uniuersum collegium delegisset, nescio an iudicarent, homines morum, disciplinæque Romanæ periti, non omnino ineptam hanc meam responsionem esse.

se. Memini tamen apud Ciceronem lib. II. ad Q. Fratrem me legisse, cum Lupus tribunus pl. causſam agri Campani peroraſſet, & ſenatum ſe dixiſſet non morari, Racilium de iudiciis retuliſſe, & ſententias rogaſſe. Atque antea quidem, ut docet Gellius ex lib. IV. Varronis, de quæſitis per epiſtolam, in exquirendis ſententiis conſul incipiebat, ab eo quem principem in ſenatum cenſores legiſſent. tum autem, cum illa Varro ad Oppianum ſcriberet, nouum morem inductum ait, ut is primus rogaretur, quem rogare uellet, qui haberet ſenatum, dum is tamen ex gradu conſulari eſſet. Etenim, ut ſupra dixi, Liuius conſulares principes ſententiarum fuiſſe refert. Itaque concedebatur hoc beneuolentiæ, & amori; tribuebatur ſanguinis coniunctioni; pietati in parentes dabatur; hominum ſapientiſſimorum amplitudini, & dignitati deferebatur. Inuenio in annalium monumentis iam ante multis annis tribunum militum conſularē P. Licinium Caluum a patre ſuo orſum. quod principe ſenatus uiuo, qui facere potuerit non uideo, ſi ſtatim ſoluta regia poteſtate illud, quod dicit Varro, inſtitutum erat. Addit Suetonius, & Gellius obſeruatū eſſe, ne cōſuli liceret modo hunc, modo illū ante alios rogare, ſed ut, a K. Ian. ad comitia uſque, eundē ordinem in cōſulendis patribus cuſtodiret. Quodcirca C. Cæſar conſul, cum quatuor ſolos extra ordinem, in iiſque principem Craſſum, rogaſſet, & deinde Pompeium deſponſa illi filia cœpiſſet, rationem eius rei in ſenatu reddidit Tirone Ciceronis liberto teſte. Id ipſum Capito Ateius, in libro de officio ſenatorio, quem iniuria temporum amiſimus, litteris prodiderat. Poſt comitia uero, conſules des. primi in conſulari gradu erant. Multa ſunt huius conſuetudinis expreſſa, & omni luce clariora ſigna. Quorum potiſſima referre non grauabor. Primum Cicero,

cero, cuius quot intueor uerba, tot pulcherrimorum instituto-rum uestigia agnosco, quincta in Antonium ita dicit: Qui ordo in sententiis rogandis seruari solet, eundem tenebo in uiris fortissimis honorandis. a Bruto igitur consule des. more maiorum capiamus exordium. Deinde Sallustius in coniuratione Catilinæ huiuscemodi uerba facit: D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul des. erat. Caussam istius instituti, ut a consulibus des. principum rogandi sumeretur, hanc reperi ex Appiano, lib. II. ut cautius, & circũspectius censerent, cum illis exequenda essent omnia, quæ senatus decreuisset. Ambos autem ante ceteros senatores dicere consueuisse sententiam, indicat Seneca in lepidissimo quodam libello, qui ἀποκολοκύντωσις inscribitur, quando ait: Proximus interrogatur sententiam Diespiter, Nicepotæ F. & ipse des. consul. Cum igitur locus hic nihil habeat dubitationis, consules nouos antequam inirent primos rogatos, deinceps uter ex illis prior rogaretur merito ambigi potest. Sed mea quidem sententia facilis est deliberatio, & iam ab aliis plane explicata. Nam si quis in historiarum monumentis euoluendis paullo attentius uersetur, eum, qui prius renunciatus esset, priore quoque loco in senatu sententiã dixisse inueniet. Post consulares uero prætorii, post prætorios ædilicii, ac demum tribunicii, ac quæstorii censebant, ut gradus gradui semper præferretur. Sic enim Cicero in Verrem per ædilitatem se assecutum antiquiorem sententiæ locum rationem habet. Et in libro XII. eiusdem ad Atticum ita est: Catonem primum sententiam putat de animaduersione dixisse; quam omnes ante dixerant, præter Cæsarem. et cum ipsius Cæsaris tam seuera fuerit, qui tum prætorio loco dixerit; consularium putat leniores fuisse. Ergo hic prætorii ante ædilitios

cios dicunt. Nam Cato post Cæsarem rogatur; quorum ille tribunus pl. ut inquit Velleius, hic prætor creatus in sequentem annum, auctore Dione, fuit. Quo cognito superuacaneum est in singulorum graduum iure demõstrando hærere. Ac si prætor des. inter prætorios censebat, ut ex hoc loco patet, non dubito, & eum, & omnes designatos magistratus sui quemlibet gradus principatum tenuisse. Ceterum qui dicebantur pedarii senatores, ut supra memini, non rogabantur, sed tamen consulis permissu dicere poterant. Qua de re Gellius: Quia in postremis erant scripti, non rogabantur sententias. Et diligentissimus rerum Rom. scriptor Dionysius lib. VII. Vbi seniores dixerunt, ex iunioribus Coriolanus postulata, & impetrata dicendi potestate, aduersus plebem huiusmodi orationem habuit. Et infra lib. eodem: Solebant consulares, ac potissimum seniores, primi rogari. Iuniores uero aut non rogabantur, aut rogati non dicebant, sed discedebant in seniorum sententias. Quo spectauit Laberius poeta antiquissimus, cum, in Mimis, caput sine lingua pedariam sentẽtiam nominauit. caussam cur non dicerent reddit Dionysius: Quoniam, inquit, ueterum senatorum sententiis addere aliquid iuuenes, & rerum imperitos, aut detrahere uelle, impudẽtiæ summæ uideretur. Necessitate quidem pressis excusatio erat. Hinc ille agipes Lucilii uocem mittere cœpit. Vtrum autem magistratus rogarentur nihil habeo quod sequar, etsi in eo quærendo non parum sane operæ, & studii posuerim. certum est illos habuisse ius sententiæ. Sed, cum priuatis omnibus præstarent, non existimo rationi consentaneum, eos posteriore loco rogatos. Itaque considerare oportet, an maiorum magistratuum referendi potius, quam censendi, partes fuerint; minorum uero patres admonendi, si quid per gratiam contra leges de rebus,

bus, quas illorum fidei populus credidiſſet, homines potentes in ſenatu molirentur. Itaque Cato quæſtor ſemper in ſenatum uenit, non aliam ob cauſſam, Plutarcho teſte, quam, ut, ſi quid ex uectigalibus detraheretur, aut ex ærario erogaretur, impediret. Quanquam nihil affirmo. rem tantum noto, iudicium autem eius doctiſſimis uiris relinquo. Manifeſtum porro eſt ex Ciceronis ad Atticum epiſtola 11. lib. 1v. in ſenatu nullam pontificum, uel aliorum ſacerdotum rationem habitam in rogandis ſententiis, perinde ac ſi ſenatores ſolum eſſent. Intelligẽdum eſt etiã, & ſi hoc ordine ſenatores cenſerent, tamen cuilibet liberum fuiſſe petere a conſule, ut interfari, aut præfari poſſet. Liuius lib. 111. Proditum memoriæ eſt, Potitum poſt relationem Ap. Claudii, priuſquam ſententiæ rogarentur, poſtulando ut de Rep. liceret dicere, prohibentibus minaciter x uiris, prodituru ſe ad plebem denunciantem, tumultum exciuiſſe. Ita igitur ſtante Rep. Confecto uero Africano bello decretum Dio tradit, ut Cæſar primus omnium ſententiam ſuã exponeret. Et Auguſtus, Suetonio teſte, de maioribus negotiis, nõ more priſtino curiæ, nec uetere cõſuetudine ſe natus, ſed prout libuiſſet patres rogabat, ut perinde quiſque animũ intenderet, ac ſi cenſendũ magis, quam aſſentiendum, eſſet. Imperatoribus aliis referentibus conſules illi ficti, commenticiiq; principes ſententiarum erant. Tacitus lib. 111. Primus ſententiam rogatus Aurelius Cotta conſul. nam referente Cæſare magiſtratus eo etiam munere fungebantur.

His ita conſtitutis rationem, & formam ſententiarum dicendarum inueſtigemus. Senatores rogati, longis utebantur orationibus, quas aliquando ex ſcripto recitabant. Erat enim ſenatori ius, ut Capito teſtatum reliquit, apud Gellium, ut ſententiam rogatus, diceret ante

te quidquid uellet alterius rei, & quoad uellet. Tacitus Annali XIII. De Bello, & pace, de uectigalibus, & legibus, quibuſque aliis Reſp. continetur, ſuadere, diſſuadere'ue patribus licebat, quoties dicendæ ſententiæ ius accepiſſent, & quæ uellent expromere, relationemq; in eo poſtulare. Scite hercules. Etenim egreſſus ſenator relationem & ſi rem ſuaſiſſet, qua uel ſola niteretur ſalus ciuitatis, tamẽ de ea S. C. ſine relatione noua, fieri non potuit. Vnde Liuius lib. XL. cum mentio facta eſſet de pace Carthaginienſi, conclamatum ex omni parte curiæ prodit, uti referret P. Aelius prætor. Itidem docet Tacitus, cuius locum infra ſcripſi; Magno aſſenſu celebrata ſententia, non tamen S. C. perfici potuit, abnuentibus cõſulibus ea de re relatum. Vbi dixiſſet quoad uellet, rationemq; ſui conſilii explicaſſet, ſententiam orationi fere epilogi uice paucis uerbis addebat. Exemplis librum infercire nolo, cum omnibus pateant orationes Ciceronis in ſenatu habitæ, Salluſtiiq;, & aliorum hiſtoriæ. Vt autem uno uerbo dicam, id quod relatum erat, aut ſuadebat, aut diſſuadebat, aut, ſi poſt alios rogaretur, alteri uerbo aſſentiebatur, aut diuidi relationẽ poſtulabat. Explicandum hoc loco eſt, quid eſſet petere, ut relatio diuideretur. Sæpe, ut apparet ex Varronis apud Gellium teſtimonio, infinite de Rep. referebatur. Si igitur relatione illa generali res continerentur ita diuerſæ, ut non idem de omnibus ſtatuendum ſenatoribus uideretur, poſtulabant, ut ſeparatim de ſingulis conſulerentur. Exemplum huius rei ſuppeditat nobis Liuiana hiſtoria: Camillus conſul de Latinis omnibus populis ad ſenatum retulit. principes relationem illius laudabant, ſed cum aliorum alia cauſſa eſset, ita expediri poſſe conſilium dicebant, ut pro merito cuiusq; ſtatueretur, ſi de ſingulis nominatim referretur populis.

Atque ſicut magiſtratus, ita & ſenatores dicebant ſtantes. Quare, cum hiſtorici faciunt aliquem in ſenatu ſuadentem, eum ſurrexiſſe aiunt. Gellius lib. VII. Sententiæ rogari cœptæ, tum M. Cato exurgit. Sic, cum aſsediſse ſenatorem narrant, ſignificant eum finem feciſse dicendi. Salluſtius in Coniuratione Catilinæ: Poſtquam Cato aſsedit, conſulares omnes, itemq; ſenatus magna pars ſententiam eius laudat. Et quemadmodum ſtãtes cenſere, ſic aſſentiri ſedẽtes Latini loquũtur. Cicero Metello: Nulla eſt a me unquam ſententia dicta in fratrem tuum. quotieſcunque aliquid eſt actum, ſedens iis aſſenſi, qui mihi leniſſime ſentire uiſi ſunt. Animaduerti autem aliquando ſententias iuratos dixiſſe ſenatores; ut Lentulo & Pæto cos. Patres, inquit Liuius, iurati (ita conuenerat) cenſuerunt, uti conſules prouincias inter ſe compararent, ſortirenturue, uter Italiam, uter claſſem L. nauium haberet. Addo etiam illud; ſenatori, cum eſſet a conſule rogatus, non dicere ſententiam ſuam, aut non probare alterius haud licuiſſe. Quod indicant hæc eiuſdem Liuii: Q. Fuluius poſtulauit a conſule, ut palam in ſenatu diceret, permitteretne patribus ut de prouinciis decernerent, ſaturusq; eo eſſet, quod cenſuiſſent, an ad populum laturus. Cum Scipio reſpondiſſet, ſe quod e Repub. eſſet facturum, tum Fuluius, Non ego ignarus quid reſponſurus, facturusue eſſes, quæſiui: quippe cum præ te feras, tentare magis, quam conſulere ſenatum: & ni prouinciam tibi, quam uolueris, extemplo decernamus, para tam rogationem habeas. Itaque a uobis tribuni pl. poſtulo, inquit, ut ſententiam mihi ideo non dicenti, quod ſi in meam ſententiam diſcedatur, non ſit ratum habiturus conſul, auxilio ſitis. Inde altercatio orta, conſul negabat æquũ eſſe tribunos intercedere, quo minus

ſuo

suo quisque loco senator rogatus sententiam diceret. Hactenus Liuius. Nec prætermittendum puto, quod in lib. III. Ciceronis de Oratore notaui, asperitatem, & acrimoniam in dicendo Crassi, pignoribus a Philippo consule coerceri; & quod tradit Gellius, Catonem, præfracte obsistentem relationi, & diem eximentem dicendo, a Cæsare consule in carcerem ductum. Ac de antiquo more sententiarum diximus.

Perrogatis omnibus sententias, uel si non adesset quisquam, qui aliud dicere uellet, cum tres, aut quatuor, ut semper accidere uidemus, controuersæ inuenirentur, oportuit in aliquam earum S. C. fieri. Fiebat uero in eam, quam plures laudassent. Nam Cornelius Nepos lib. v. exemplorum, auctore Gellio, & Liuius XXXVII. memoriæ, & litteris tradiderunt, multis placuisse, ut ii, qui de permutandis captiuis, post Cannensem cladem, iurati ab Hannibale missi redire nollent, datis custodibus ad eum reducerentur; sed eam sententiam numero plurium, quibus id non uideretur superatam. Diuersæ igitur sententiæ ordine pronunciabantur a magistratibus. cuius præcepti fundamentum, et sedem, non magni negotii est ostendere. Cæsar commentario primo de bello ciuili: Lentulus consul sententiam Calidii pronunciaturum se omnino negauit. Cicero Lentulo: Sententia prima Bibuli pronunciata est, ut tres legati regem reducerent; secunda Hortensii, ut tu sine exercitu reduceres; tertia Volcatii, ut Pompeius reduceret. In persequendis porro sententiis non tam qui primus suasisset, quam qui uerbis luculentioribus, & pluribus rem comprehendisset, consules spectare solitos notaui in Ciceronis XII. libro ad Atticum. Tribuebatur hoc quoque gratiæ, eodem lib. X. epistolarum teste. Pronunciatis differentibus opinionibus senatorum in singulas discedeba-

tur, ut quam plures probarent cognoſceretur. Neque ue ro auguror cum id dico, ſed rē clarā, ac teſtatam affero. Primum hoc intelligitur ex iiſdem litteris ad Lentulum. Deinde ex illis Hirtii uerbis: Sententiis dictis, diſceſſionem faciente Marcello, qui ſibi omnem dignitatem ex Cæſaris inuidia quærebat, ſenatus frequens in alia omnia tranſiit. Poſtremo ex his ſextæ in Antonium Philippicæ: Itaq; hæc ſententia ſic per triduum ualuit, ut quanquam diſceſſio facta non eſſet, tamen, præter paucos, omnes mihi aſſenſuri uiderentur. Manſiſse hanc conſuetudinem redactis omnibus in poteſtatem Cæſarum Lampridius in Seuero innuit: Nullam, ait, conſtitutionem ſacrauit ſine uiginti iuriſperitis, & doctiſſimis, ac ſapientibus uiris, iis denique diſertiſſimis, non minus quinquaginta; ut non minus in conſilio eſſent ſententiæ, quam ſi S. C. conficeret; & id quidem ita ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur quid quiſque dixiſſet. Neque me ualde angit, quod apud Dionyſium nulla diſceſſione facta Appius xuir Cornelii ſententiam ſibi obnoxiam uiciſſe pronunciauit. Nam, ut alia multa, quæ mos maiorum minus ferebat, ita & hoc nullo exemplo ueterum imminente bello periculoſo, cupidiſſimus imperandi homo fecit, cum perrogatis ſententiis denuo quidam ſenatores referri uellēt rem integram ad ſenatum; & tempus extrahendo, aut dominationem xuirorum infringere, aut hoſtium potius uim, quam tyrānorū impotētes animos, & ſuperba imperia perpeti. Quæ quidem conſuetudo, & ratio a ſapientiſſimis homi nibus introducta fuit, & excogitata, ut qui ante dixerāt, ſi poſt ab alio melius quidpiam cēſeri animaduertiſſent, in eius ſententiam poſſent pedibus ire. Ita in hiſtoria Salluſtii Silanus conſul des. cum primus ſuum expoſuiſſet conſilium, poſtea permotus oratione Cæſaris, pe

dibus

dibus in ſententiam Ti. Neronis iturum ſe dixerat. Et XI. Philip. Q. Fuſius pollicitus eſt, ſi quis eorũ, qui poſt ſe rogati eſſent, grauiorem ſentẽtiã dixiſſet, in eam ſe iturum. Diſcedebatur ergo primum in eorum ſententias, quæ de illo, quod conſules retuliſſent, erant. Itaque cum Lupus tribunus pl. exemplo nouo contendere cœpiſſet, ante ſe oportere diſceſſionem facere, quam conſules, eius orationi uehemẽter reclamatum Cicero ſcribit. Interdum autem, ſi ſententia res contineret duas, quarum una placeret, altera diſpliceret, antequam inciperent pedibus ire, patrum aliquis poſtulabat diuidi ſententiam, ut tradit Pedianus in commentario Milonianæ. Idem indicat & Seneca lib. Epiſtolarum III. cum ait: Quod fieri in ſenatu ſolet, faciendum ego in Philoſophia quoque exiſtimo, cum cenſuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, iubeo illum diuidere ſentẽtiam, & ſequor. Dices exemplo opus eſſes? Non longe abiero. Nam eſt in ea, cuius iam ſæpe mentionem feci, ad Lentulum epiſtola: Poſtulatum, inquit, eſt, ut Bibuli ſententia diuideretur, quatenus de religione dicebat: ei rei quia iam obſiſti non poterat Bibulo aſſenſum eſt. de tribus legatis frequentes iuerunt in alia omnia. Permittendæ autem diſceſſionis formula in commẽtariis linguæ Latinæ Feſti talis extat: Qui hoc cenſetis huc tranſite, qui alia omnia in illam partem. Atque alia omnia dicebat conſul, non qui non cenſetis, ominis uitandi cauſſa. Præire uero ſolitum his uerbis magiſtratum Plinius iunior ſignificat, Nam ſic ſcribit lib. IIX. Non conſul etiam ubi quiſque remanere, quo tranſgredi debeat, non modo ſolemnibus uerbis, ſed manu, geſtuq; demonſtrat? Neq; enim ambigo, hoc quod dicit Plinius, ex antiqua ſenatus diſciplina tractum. Eodẽ autem modo de diſcedendi ratione & Feſtus: Pedarius ſenator, inquit, appellaba-

pellabatur, quod nunquam diceret, sed cum discederetur transeundo tantum ad eum, cuius sententiam probabat, quid uideretur indicaret.

Sæpenumero autem nullis sententiis dictis, relatione facta statim fiebat discessio, quod Varro nominat S. C. per discessionem, illud autem per relationem. Atque ita duæ opiniones, quas putat Gellius discrepantes, una Varronis de duobus generibus S. C. altera Atei, uel potius Tuberonis, qui putat in omnibus. S. C. faciendis requiri discessionem, inter se conuenientes, & quasi geminæ reperiuntur. Faciebant autem S. C. per discessionem magistratus, uel ne quod simultatis onus senatoribus imponerent, ne'ue quis metu, aut uerecundia compulsus, secus quam sentiret diceret, ut arbitratur Dio lib. XLI. uel celeritatis caussa; ut Cicero narrat, Antonium allato nuncio de legione quarta effugere festinantem, de supplicatione S. C. per discessionem feciſſe. Actum maxime discedebatur tantum, inquit Varro, quum res minime dubia esset. Nam quid necesse erat, uerbi gratia, de solemni religione, de qua K. Ian. uel prout qua ætate anni principium agebatur, consules priusquam rerum humanarum aliquid attingerent, more maiorum referebant, singulorum sententias perquirere? Itaque dictis solum caussa ea de re S.C. fieri solita per discessionem facile crediderim.

Antea quam uero exeamus e curia, quibus rebus summa uoluntas senatus, quo minus S.C. fieret, impediretur exponamus. Horum ergo impedimentorum genera non pauca inuenio. Primum genus est interceſſio. De qua legem hanc rogat lib. III. Cicero: Ni potestas par, maior'ue prohibessit, S. C. perscripta seruanto. Qua ex rogatione, non tam ad effigiem moderati ciuitatis status, quam ad historiæ fidem lata, patet, rationem impediendi

diendi edita uoce Veto, non ut alias quasdam senatorũ quoq;,sed magistratuũ solum fuisse;nec quorumuis magistratuũ, uerum maiorum tantum. Hoc uero nomine & tribunos pl. nunc cõprehendo, quos & si minores uocent, maximam tamen potestatem habuerunt, & intercedendi ius summum. Ac ob eam caussam, & ut sacrosancti essent, Dione auctore, Cæsares tribuniciam potestatem assumebant. Alterum inuenio, cum magistratus non uetabant, sed moram afferebant; ueluti cum Serranus noctem sibi ad deliberandum postulauit, quãdo de reuocando Cicerone ab exilio agebatur. Tertium genus est;cum, nullo magistratu intercedente, longa oratione senator tollit diem. Etenim quod post solis occasum senatus decernit irritũ est. Quo in genere magnus fuit Cato. Quartum est, cũ offertur religio magistratui senatum habenti, non satis eum auspiciis operam dedisse. Nam, si hoc collegiũ augurum comprobasset, differebatur res in posterum. Quinctum impedimentum fuit, si senatus esset nullo edicto legitimo coactus. Sextum, cum loco non auspicato habebatur. Septimum, cum dies erat non senatorius. Neque uero subiiciendis auctoritatibus singulis generibus mihi, & aliis molestus esse uolui. Quod si qui nolint nobis sine pignore, ut dicitur, credere, Dionis historiæ librum LV. & Ciceronis III. de Legibus, orationem pro Sextio, atque epistolam Etsi ad Plancum, legant. Illis autem, quos Festus commemorat, modis, cum numera senatum dicebat; consuli senator; aut, cum postulabat, ut res quæ adferebantur diuiderentur; aut, ut singuli consulerentur, non tam senatus consilium tardabatur, quam magistratuum artes eludebantur. Si quis autem S. C. intercessisset, aut moram attulisset, id quod patres decreuerant senatus auctoritas, ut docet Dio lib. LV. uocabatur. Vnde Seruilius

lius Hala apud Liuium lib. IV. si quis intercedat senatusconsulto, auctoritate se fore contentum dixit. Cicero tamen nonnunquam senatusconsulti, & auctoritatis nomine pro eodem utitur. ut III. legum cum sic loquitur: Quo in genere seueritatem maiorum nostrorum senatus uetus auctoritas de Bacchanalibus, & consulũ exercitu adhibito quæstio, animaduersioque declarat. Nam Liuius S. C. mandatam hanc quæstionem Albino, Philippoq; cos. aperte narrat. At enim pro libidine magistratibus uoluntati senatus aduersari licitum erat? Minime uero. Nam referebatur statim de eorum intercessione, esset a Rep. nec ne, atque cum non esse statuebatur, si intercessionem remittere nollent puniebantur. Cicero lib. II. ad Atticum, Cæsar lib. I. & alii.

Vbi S. C. esset factum iussu magistratus recitabatur. Dionysius lib. XI. Quibus dictis mandauit scribæ, ut recitaret S. C. Dimittebatur autem senatus in hæc uerba: P. C. nemo uos tenet. aut in hæc: Nihil uos moror P. C. Cicero lib. II. ad Q. Fratrem: Tum ille se negauit senatum tenere. Capitolinus in Antonino: Nunquam discessit e curia, nisi consul dixisset, nihil uos moramur P. C. At par potestas, aut maior potuit retinere senatum. Nam, & cum dixisset Lupus tribunus pl. se non tenere senatum, surrexit, ut narrat Cicero, Racilius collega eius, & de iudiciis retulit. Quod qua ratione factum esset non uideo, nisi Racilio retinere senatum pro potestate tribunicia, dimittente Lupo, licuisset. Dimisso senatu si S.C. factũ, & perscriptum esset, recitabatur ad populum a magistratu, aut senatores concione impetrata uerba faciebant. In recitando autem S. C. fere nominis eius, in cuius sententiam itum erat, interponebatur honorifica commemoratio. Hinc ille noster lib. IV. ad Atticum. Factum est S. C. in meam sententiam,

tentiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem ſuſciperet, lexq́; ferretur. quo S. C. recitato, cum concio, more hoc inſulſo & nouo, plauſum meo nomine recitando dediſſet; habui concionem.

Hactenus ſenatoriam decernendi conſuetudinem, quæ diu terris exterminata omnibus prope in tenebris iacuit, in lucem reuocare, & priſtino ſplendori reſtituere conati ſumus. Deinceps de ſenatuſconſultis triplex mihi exoritur dubitatio. Nam & a quo ſcriberentur, quomodoque conciperentur; & a quibus magiſtratibus aſſeruarentur, & quo loco; tum quam uim haberent, quamq́ue diu magiſtratus alligarent ambigo.

Dicamus autem primum de prima. Scribebant igitur S. C. ſcribæ, quem ordinem non adeo grauem, atque honeſtum fuiſſe Romæ alii oſtenderunt. ut uero in ceteris monumentis publicis, ſic & in S. C. tabulis mandandis uerſatum hoc genus hominum Dionyſius ſignificat lib. XI. in quo ſcribarum, qui ſenatui apparebant, mentionem facit. Legi etiam, qui intelligerent Ciceronem ſcribæ alicuius poſuiſſe nomen, cum in XII. epiſtolarum ad Atticum lib. ita ait: Tantum rogat ut S. C. corrigas. Hoc quidem feciſſet etiam Ranio, ſi admonitus eſſet. At in magnis difficultatibus, & perturbationibus, ſi intereſſet Reip. ne ſenatus decretum euulgaretur, uel ut ſumma prudentia, & fide omnia litterarum notis ad poſteri temporis memoriam conſignarentur, ſenatores quiq́ue conſuetudine ſcribendi, integritate, memoria, ſcientia præſtantiſſimi ſcribarum officio, & munere fungebantur. Ita indicia coniurationis facinoroſorũ, & perditorum ciuium, cuius dux & auctor erat Catilina, non ſolum, ut eſt in oratione pro Sylla, perſcribunt in ſenatu ex inferioribus gradibus tres ſapientiſſimi, & altiſſimis mentibus præditi ſenatores, uerum e-

tiam prætor populi R. Sic, ut dixi, S. C. quæ a nonnullis Tacita appellantur, ſcribi ſolita a ſenatoribus obſeruaui. Qua de re Capitolinus in hanc ſententiam: Hunc morem apud ueteres neceſſitates publicæ repererunt, ut ſi forte aliqua uis ab hoſtibus immineret, quæ uel cogeret humilia capere conſilia, uel aliqua conſtituere, quæ non prius oporteret dici, quam effici S. C. tacitum fieret, ita ut neque ſcribæ, neque ſerui publici ſenatus conſilio intereſſent, uerum ſenatores omnia exciperent, ipſiq; ſcribarum officio fungerentur. Atque etiam cum huiuſmodi S. C. fierent, non ſolum ſcribæ ſenatus conſilio non apparebant, uerum etiam pedarii ſenatores in curiam non admittebantur. Quo factum eſt, ut quemadmodum legimus apud Valerium, conſules obiurgarint Q. Fabium, quod P. Craſſo, qui etſi ante triennio geſſerat quæſturam, nondum tamen a cenſoribus in ſenatum lectus erat, narrauerit, quod ſecreto in ſenatu erat actum, de tertio bello Punico indicendo. At cetera S. C. adeo non occulta erant, ut omnes prope ciues ſenatuſconſultorum libros domi ſuæ quiſq; haberent, donec interceſſit Auguſti decretum, quo, Suetonio auctore, uetuit, ne ſenatus acta in poſterum publicarentur. In S.C. autem ſcribendo tempus primum ponebant, & locum, in quo ſenatus decreuiſſet; deinde nomina eorum, qui ſcribendo affuiſſent, recitabant; tum relationem, cum nomine magiſtratus, paucis uerbis perſtringebant; atque his omnibus ultimo loco ſenatuſconſultum ſubiiciebant. Quod autem diximus de iis, qui ſcribendo affuiſſent, illud ita intelligendum eſt, ſolita adſcribi nomina teſtium ſenatuſconſulti faciendi. Qua ratione in libro conſtitutionum noſtrarum, legibus a quolibet rege, ſenatu cenſente, & legatorum equeſtris ordinis collegio conſciſcente, perlatis, nomina eorum, qui præcipui,

cipui ei concilio interfuere, appoſita uidemus. Si quis autem auctoritatis momenta deſiderat, ita interpretatur genus hoc loquendi Lampridius, de Heliogabalo impuriſſimo, & fœdiſſimo mõſtro loquens: Vbi primũ, inquit, ſenatus diem habuit, matrem ſuam rogari iuſſit, quæ cum ueniſſet uocata, ad conſulum ſubſellia ſcribendo affuit, id eſt, S. C. conficiendi teſtis. Horum uero teſtium nomina ſenatuſcõſulti auctoritates a Cœlio, & Cicerone lib. III. de Oratore nominantur. Nec illud ignorari uelim, & ſi nõ paucos ſenatores uideamus ſæpe adfuiſſe, tamen quædam a duobus tãtum ſenatuſcõſulta eſſe ſcripta. Id quod ex XIV. ni fallor, Ioſephi antiquitatum Iudaicarum libro poterit reperiri. Exempla ſenatuſconſultorum non pauca extant in ueterum monumentis; ſed cum omnium eadem fuerit uelut ſolemnibus uerbis concepta formula, unum ſolum, quo iam ſæpe uſus ſum, ut quærendi uitem moleſtiam, recitabo. Miſſum id S. C. eſt a Cœlio M. Ciceroni. S. C. auctoritates. Pridie K. Oct. in æde Apollinis. ſcribendo affuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Lucceius C. F. Pup. Hirrus. C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Ateius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina. Quod M. Marcellus cos. V. F. de prouinciis conſularibus. D. E. R. I. C. uti L. Paullus, C. Marcellus cos. cum magiſtratum iniſſent, ad ex K. Mar. quæ in ſuo magiſtratu futuræ eſſent, de conſularibus prouinciis ad ſenatum referrent, neue quid prius ex K. Mar. neue quid coniunctim de ea re referretur a conſulibus: utique eius rei cauſſa per dies comitiales ſenatum haberent, S. Q. C. facerent: & cum de ea re ad ſenatum referretur a conſulibus, qui eorum in CCC. iudicibus eſſent, * abduce-

re liceret: si quid de ea re ad populum, plebem'ue lato opus esset, ut Ser. Sulpicius, M. Marcellus. cos. prær. trib. pl. quibus eorum uideretur, ad populum, plebem ue ferrent; quod ii non tulissent, uti quicunque deinceps essent, ad populum, plebem'ue ferrent. Ac illæ notæ celeritatis gratia adhibebantur, Q. V. F. C. hoc est, quod uerba fecit consul. Et hæ: Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. Quid de ea re fieri placeret, de ea re ita censuerunt. Item S. C. istius clausula, ut docet Probus, hac breui scriptura signabatur. S. Q. D. E. R. A. P. P. V. L. O. E. COS. PR. TR. PL. Q. E. V. A. P. P. V. F. Illa autem uerba, si eis uideatur, honoris causa addebantur in S. C. si quid mandabatur magistratibus, ut facerent, quod obseruauit Donatus in cõmentario in Adelphos Terentii. Pro Donato stant sexcenta apud Ciceronem, & alios exempla, quæ putidum esset colligere. Adhæc Valerius tradit ueteribus senatusconsultis T. litteram subscribi solitam, eamq; notam significasse tribunos pl. S. C. assensos esse. In auctoritatibus uero, perscripto senatus consensu, adiiciebatur, qui S. C. intercessisset, Id animaduerti ex iis auctoritatibus, quæ Cœlii epistolis interpositæ sunt.

Antiquitus autem S. C. (iam enim ad alteram dubitationem oratio mea delabitur) in Cereris fanum deferebantur ad ædiles. Liuius lib. III. Institutum est, a Valerio, & Horatio cos. ut S. C. in ædem Cereris ad ædiles pl. deferrentur, quæ ante arbitrio consulum supprimebantur, uitiabanturque. uerum Dio extrema pagina lib. LIV. munus hoc inter tribunos pl. & ædiles communicat, ab hisque, imperante Augusto, translatum ad quæstores ait. Penes quos mansit demum perpetuo ætate Cæsarum, quemadmodum ex Tacito colligo, senatusconsultorum custodiendorum cura. Ac iam pridem mutata

&

& illa priſca conſuetudine deferendorum ad Cereris S. C. in intimo ærario reponebantur. Quod ſi quis rerum antiquarum imperitus arbitretur, Cereris fanum ærarium populi Rom. fuiſſe, eum ego, non tam coniecturis, quæ non ſemper ſunt efficaces ad concipiendam antiquitatem, quam manifeſtiſſimis ueterum teſtimoniis, utens, hoc errore graui leuabo. Sed quid, alios quærendo, fruſtra opus eſt conſumere tempus, cum mihi ſubito in mentem uenerit Macrobius? Nullum enim eſſe puto, qui huic omnibus, quæ apud ſcriptores æquales illis temporibus legit, uere referendis fidem defuiſſe exiſtimet. Quid igitur Macrobius ſcribit? Aedem, inquit, Saturni Romani ærarium eſſe uoluerunt; quod tempore, quo incoluit Italiam, fertur in eius finibus nullum eſſe furtum commiſſum. Probandum nunc eſt S. C. in ærario Romanos reponere ſolitos. Cicero quincta Philippica, cum in Antonium acerbiſſime inuehitur, id ei maxime crimini dat, quod S. C. tanquam facta ad ærarium detuliſſet. Item Liuius lib. XLIX. Fuluium conſulem S. C. per infrequentiam factum in ærario repoſuiſſe narrat. Et Iulius Maratus, apud Suetonium, auctor eſt, ante paucos quam Auguſtus naſceretur menſes, prodigium Romæ factum publice, quo denunciabatur regem populi R. naturam parturire; ſenatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo natus anno educaretur; eos qui grauidas uxores haberent, quod ad ſe quiſque ſpem traheret, curaſſe ne S. C. ad ærarium deferretur. Quibus etiam ex uerbis Suetonii efficitur, ſummi ordinis mandatum, & præceptum magiſtratus exequi nequiuiſſe, antequam eſſet ad ædem Saturni delatum.

Reſtat tertium dubitandi genus, quanta uis ſenatuſconſultorum, quamque diuturna eſſet. Video in hiſtoria Liuii lib. IV. cum nollent cos. ex S. C. dictatorem di

cere

cere, tribunos pl. pro collegio pronunciasse, si aduersus consensum amplissimi ordinis ultra tenderent, in uincula se eos duci iussuros. Ita quod semel senatui uisum esset probabile, eo standum erat. neque a quoquam magistratu S. C. immutari potuit, sed ab ipso senatu inducebatur, quoties conuersis rebus, ac commutata tempestate, usus eum, quem laudasset cursum, euidenter arguebat. Cicero pro domo: Cœptum est referri de inducendo S. C. ab uniuerso senatu reclamatum est. Idem Attico: Inducendi S. C. maturitas nondum est; quod neq; sunt, qui querantur; & multi partim maleuolentia, partim opinione æquitatis delectantur. Cæsarum autem ætate, comitiorum iure, Tacito lib. 1. teste, ad senatum translato a Tiberio, senatusconsulta perpetuarum, & æternarum legum uim habebant, ut ex Pomponio Iurisconsulto constat. Verum ante iubendarum ius legum populo ui adēptum, uno tantum anno magistratus ea, quæ censuerat senatus, alligabant. Sic enim Dionysius optimus antiquitatis auctor scriptum reliquit lib. IX. Cōsules negabant S. C. de diuisione agrorum in suo magistratu factum, sed in Cassii, Virginiiq́ue; neque ut leges senatus decreta æterna, sed annua tantum esse dicebant. In prouinciis tamen senatusconsultis diutius obtemperatum ex ultima epistola lib. v. ad Atticum, & aliis multis locis colligo.

At ecce iam in manibus est de senatus potestate, & cognitione, perobscura multisq́ue partibus impedita, quæstio. Experiri tamen libet, utrum opera, & diligentia mea aliquid illi possit adferri lucis. Quod totius disputationis de senatu, non solum difficillimum, uerum etiam grauissimum caput, ingredienti mihi necessario repetendum uidetur; id quod ante nos a multis doctissimis uiris traditum, & demonstratum est; non unam per-

perpetuo, sed uarias, ac multum inter se diuersas Reip. Rom. formas extitisse. Vnde si eodem modo de senatus Rom. potestate statuendum existimem esse, quæ modo aucta, & ad summum fastigium perducta; modo diminuta, & prope concisa erat, haud optime hercle de Rom. antiquitate mererer. Tum autem demum meo me perfunctum munere arbitrabor, cum inde a primo urbis ortu initio sumpto, omnes mutationes, omniaq; senatus tempora renouauero, & quam potero, in hac annalium paucitate, & rerum ueterum obscuritate, planissime, ac uerissime demonstrauero.

Romulus igitur auctor, & conditor Reip. illius maximæ, ac nobilissimæ, senatui hoc iuris, & honoris tribuit, quemadmodum Dionysius lib. 11. litteris prodidit, ut quibus de rebus ipse, uel ceteri retulissent reges, de iis senatores cognoscerent, & sententias dicerent, ac quod uideretur pluribus id ratum esset. Hinc de Tarquinio Superbo Liuius: Hic enim regum primus traditum a prioribus morem, de omnibus senatum consulendi, soluit: domesticis consiliis Remp. administrauit, bellum, pacem, fœdera, societates, per se ipse, cum quibus uoluit, iniussu populi, ac senatus fecit. Ac & si populo legum iubendarum, magistratuum creandorum, & belli, pacisque decernendæ a Romulo permissa potestas esset, necessarium tamen fuit, ut populi iussum senatus iudicium, & auctoritas confirmaret. Qua de re Dionysius in hanc scripsit sententiam: Ceterum plebi hæc tria concessit, magistratuum conferendorum potestatem, legum iubendarum ius, & belli decernendi arbitrium, si quando de eo suscipiendo rex cogitaret. Neque tamen de iis rebus iudicium populi satis per se ponderis habuit, nisi illud senatus auctoritas confirmasset. Eodem modo & Liuius: Decreuerunt, inquit, patres,

ut

ut cum populus regem iussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fierent. Liberata etiam Rep. regio dominatu prope idem erat status, eademque temperatio ciuitatis. Illa tria populus obtinebat; senatus cetera omnia suo consilio moderabatur; magistratus uero, quibus iurisdictio, & hoc genus alia quædam concessa erant, summa cura, & diligentia patrum exequebantur uoluntatem. Sed postquam patricii, ex quibus senatus constabat, in plebem sæuire cœperunt, Auentinum montem multitudo armata insedit, tribunos sibi creauit, qui, ob paucorum uitia, uniuerso ordine inuidia flagrante, turbulentis concionibus leuem plebem quouis incitabant; auctoritatem senatus oppugnabant; eamque diminuendo potentiam suam augebant Exinde comitiis tributis institutis, legeque ut omnes Quirites plebiscitis tenerentur perlata, summam licentiam tribunorum pl. nacta temeritas, procedente tempore non solum omne ius senatus fregit, ac debilitauit; sed demum etiam uniuersam Rēp. euertit. Ab eo igitur tempore, quo senatus non omnia solus potuit, sed multa etiam per populum agebantur, illius cognitio diligentius, & accuratius nobis est consideranda.

Polybius historicus, qui Africani minoris doctor fuit, & perpetuus in militia comes, de disciplina, & temperatione illorum temporum Romanæ ciuitatis disputans, hæc senatui tribuit: Ait primum senatum ærarii totius dominum, & administratorem fuisse; quod & uectigalia omnia in eius potestate fuissent, & eiusdem arbitratu impensæ omnes fierent; nec quæstores sine auctoritate senatus, præter ea, quæ consules iussissent, uel minimum, cum opus esset, in rem ullam sumptum facere possent. Grauissimæ etiam illi impensæ, quam censores in quinquennales lustri apparatus faciebant,

præ-

præfuisse ; à senatuq; auctoritatem illam, & facultatem censoribus concedi, & permitti solitam. Maleficia item, ac crimina per Italiam commissa, de quibus publicum iudicium constitui oportebat, ut proditionis, coniurationis, ueneficii, cædis, atque insidiarum ad senatum relata, eiusque de his cognitionem fuisse. Quod si qua in Italia controuersia dirimenda, si publice, uel priuatim quispiam, uel ciuitas obiurganda, si cui auxilium ferendum erat, de his omnibus senatum statuisse. eodemq; modo, si qua extra Italiam ad aliquos legatio erat mittenda, aut ad aliquid decidendum, aut ad fœdus faciendum, aut ad cohortandum, aut ad imperandum, aut postremo ad res repetendas, & ad bellum indicendum, hæc senatum curasse. præterea quid de legatis exterarũ gentium agendum, quid eis respondendum esset, decreuisse. Ad id autem, quod de ærario dixit, referendum & illud est de publicanis; quibus præfuisse senatum eodem libro narrat; senatumq; diem proferendi, si quam calamitatem accepissent, eos releuandi, si quæ difficultas, aut publica calamitas, quo minus soluendo essent obstitisset, locationemq; prorsus inducendi ius, ac potestatem habuisse. Addit idem auctor non paruam rei militaris partem in arbitrio supremi consilii positam fuisse. Etenim frumentum, inquit, uestimenta, obsonia non nisi ex S. C. exercitui suppeditabantur, adeo ut imperatorum expeditiones, & consilia omnia, quoties illorum gloriæ obstare, & iniq; cum eis agere senatus uellet, irrita redderentur. Atque etiam prorogandi imperii, aut successorem mittendi, annuo elapso spatio ius penes senatum narrat fuisse, ita ut non difficille ei esset, belli confecti laudem cui uellet præripere. Denique potuisse res imperatorum gestas aut extollere, & exornare, aut eleuare, ac deprimere; cum triumphum, in eiusq;

apparatum ex publico sumptum, nemo nisi beneficio se natus consequi posset.

Hæc fere Polybius libro sexto, cuius & si auctoritatis neminem posset pœnitere, tamen, ut sit planior hic de se natus cognitione locus, quæ de iis rebus apud alios scriptores obseruaui in medium proferam. Vt autem ab ærario ordiar, & ordinem seruem Polybii, sic dixit Cicero in interrogatione in Vatinium ærarii dispensationem penes senatum semper ita fuisse, ut nunquam a populo sit appetita. Quamobrem non miror ante M. Aemilium Lepidum & C. Flaminium cos. senatum de pecunia in publicũ non relata quæsiuisse, ut me XXXIIX. lib. Liuius docuit. Quod uero scripsit publicanos calamitate infortunioq; pressos ad senatum semper confugisse, eius rei uestigium inuenio in Cic. epist. ad Att. quando ait, Asianos, qui de censoribus conduxerant, questos esse in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse, ac ut induceretur locatio postulasse.

De cognitione criminum Italiæ publicorum non admodum facilis est iudicatio. Quoniam ex nullo alio scriptore istud potui reperire. Hoc solum memini ab Appiano historiarum monumentis proditum, lege iudiciaria accepta C. Gracchum dixisse, se penitus neruos senatorii ordinis incidisse, idq; uere ab eo usurpatum, rem ipsam postea comprobasse. Nam cum equitibus potestatem permisisset, ut de ciuibus Romanis, atque Italicis, & senatoribus ipsis iudicarent, ac multam, exilium, ignominiam irrogarent; eos quasi constituisse dominos, senatum uero illis subiecisse uisus est. Quare uidendum est utrum hoc potius ad ordinem amplissimũ, qui solus fortasse cum hæc scriberet Polybius iudicabat, quam, ad senatus consilium sit referendum. Missos quidem sæpe lego a senatu magistratus, in quasdam

dam Italiæ urbes, ut de iis quærerent, qui proditionis, aut defectionis consilia agitassent. Itidem ad ciuitates obiurgandas. Neque uero de ceteris quæ sequuntur, opus est tanquam de re dubia argumentari. An enim quisquam reperietur, qui ambigat auxilia Italicis ex S. C. cum bello urgerentur lata? quorum fere in fœderibus erat, ne ipsi pro se inscio senatu Romano arma caperent; aut componendarum inter populos Italiæ controuersiarũ arbitros, qui in re præsente cognoscerent, a senatu datos? cum tabula ænea superioribus annis inuenta in Liguria declaret, missos a senatu arbitros finium regundorum inter Genuates, & Viturios, req; cognita, eos Romam uenire iussisse, & Romæ coram ex S. C. sententiam dixisse.

Legatos autem qui cum mandatis ad exteras nationes, & cum imperatoribus in exercitum, aut cum magistratibus in prouincias irent, ex auctoritate senatus semper delectos, indicat oratio Ciceronis, in qua Vatinium, qui sibi lege sua detulerat legationem, hoc modo interrogat: Volo audire de te, quo tandem S. C. legatus sis? de gestu intelligo, quid respondeas: tua lege dicis. es ne igitur patriæ certissimus parricida? speraras ne id, ut patres conscripti ex Rep. funditus tollerentur? ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? adeo ne tibi sordidum consilium publicum uisum est, adeo afflictus senatus, adeo misera, & prostrata Resp. ut non nuncios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris prouincialis senatus more maiorum deligere posset. Vnde & in Sextiana sic in Pisonẽ inuehitur: Pro te ipso Piso nemo ne uestem mutauit? ne isti quidem, quos legatos, non modo nullo S. C. sed etiam

repugnante senatu, tute tibi legasti. Non uidetur tamen silentio prætereundum legatos a magistratibus iussu senatus nominari solitos. Liuius XLIII. Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius prætor tres ex senatu nominet legatos. Tacitus autem legationibus ne ambitioni, aut inimicitiis locus foret, exempla ueterum sortem posuisse narrat.

Illud superuacaneum puto exemplis, aut testimoniis probare, respõsa omnibus omnium gentium postulatis, ex publici consilii sententia semper data. Quin potius antiquum morem excipiendarum, & audiendarum legationum breuiter perstringamus, remq; a nemine hactenus explicatam in pauca conferamus. Nam & ad exitum operis festinat oratio, & singula copiose tractare fortasse huius loci non est. Romana consuetudine si quando reges, aut legati, uenire nunciarentur, primo quid uellent ab exploratoribus cognoscebatur, postea ad eos egrediebantur magistratus minores. Nominatim istud munus Liuius quæstoribus defert. Egresso, inquit, naue Massabæ Masinissæ filio præsto fuit L. Manlius quæstor. Quod si essent legati hostium in urbem non admittebantur, sed iis & hospitium, & senatus extra urbem dabatur: Liuius lib. XXX. de Carthaginiensium legatis loquens: Quibus uetitis in urbem ingredi, hospitium in uilla publica, senatus ad ædem Bellonæ datus est. Idem lib. XLV: Per idem tempus legati ab rege Perseo uenerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit, cum iam bellum regi eorum, & Macedonibus, & senatus decreuisset, & populus iussisset. Et Nicostratus in libro, quẽ inscripsit de senatu habendo, tertium senaculum citra ædem Bellonæ fuisse memoriæ prodidit, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, senatus dabatur. Legationes autem sociorum, & amico-

